

BIBLIOT.

DE LA

UNIVERSIDAD DE SALAMANCA.

Lib. 9 No. 73



UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

GREDO.SUALES

12 28 9 93

FRANCISCI
Martini j Lusitani, Lati-
næ linguæ Salmanticensis
Doct̃oris.

De Grammatica professione Deciamatio.

Ad D. Ioannem Guzmanum
Pardum.

Lib. del
lingue



collegio in
Lib. 25



Cum Priuilegio.

SALMANTICÆ

Excudebat Petrus Lassus.

1588.

UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

GREDO.SUALES

615823556

11265



D. Ioāni Guzmano Par

do, Franciscus Martinius Lusitanus, Latinae
linguae Salmanticensis Doctor

S. P. D.



V M Principum, &
clarorum hominū splen-
dorem, vir maxime, ex-
celsoque loco nate, eru-
ditorum scriptis presi-
dium, & ornamentum afferre solere magnū
animaduverterem, te mihi patronum, Meca-
natemque amplissimum ad tuendas, & illu-
strandas studiorum meorum lucubrationes
deligendum esse maximè existimaui. Ea
namque nominis est tui claritas, ea generis
antiqui gloria, ut à summis Regibus, & Im-
peratoribus ducta, per Comites, Marchio-
nes, Ducesque potentissimos propagata,
vniuersam iam olim Hisp^{ani}am, atq; adeo
extremos Christiani orbis terminos comple-

uisse, deductis quasi colonijs videatur. Federicus enim Alphonsi vndecimi Hispaniarum Regis filius nepotem habuit Enricum omni laudum genere præclarissimam, qui primus Comes Albanus fuit, Enrici parētis tui viri summi, & singularis abauus. Quod si maternum genus inspiciamus, ab excelsa Ducum Albanorum familia ortum te esse constat, qui omnes (vt ex annalibus Romanorum, Hispanorumque colligitur) ad Constantinum Magnum primum ex Imperatoribus Christiani nominis propugnatorem nobilitatis antiquitatem referūt: à quo etiam præfulgens Crucis insigne quasi hæreditarium accepisse non immerito existimantur. Horum autem omniū maiorum tuorum res tot prudenter, animoseque gestas, tot, ac tāta confecta bella, victorias, triumphos, totiesq; Gallorum, Germanorū, Maurorum, Turcarumq; repulsi impetus, summaque rerum gubernacula ab eisdem sapienter, feliciterq;

liciterq; administrata, nemini dicēdi vis tanta, tantaq; vbertas erit, vt non dicam exornare, sed enarrare vnquam pro dignitate possit. Sed nec præclara tot opera, ac pene diuina in Hispanorū gentem beneficia obscura vllis sæculis vnquam erunt, quæ in illustri, excelsaq; loco posita, omniumq; gentium linguis, ac literis celebrata, vigebūt memoria hominum sempiterna. Atque hæc laudes, innumerabilisq; tuorum alie, de tui animi, ingenijq; magnitudine mihi sæpenumero cogitanti, videri solent ad te non solum pertinere, sed maxime in te etiam elucere: qui illorum dignitatem, splendorem, rerum gerendarum prudentiam, iustitiam, pietatem, clementiam, magnificētiā, & amplitudinem representas. Cumq; præclarum quidam, & excellens tum demum in nobilibus, & magnis viris existere, sapientes omnes statuunt, cum ad auctoritatem, & constantiam mansuetudo etiam, lenitasq; accesserit, in te non

dubiè nobilitatis laus est omnis cumulatissi-
ma. Nullius enim explicari oratione potest,
qua facilitate perpetuo, qua comitate uti in
omne genus hominum consueueris, qua beni-
gnitate tueri, ac defendere et alumnos tuos,
& Rempub. vniuersam soleas. Vnde esse
effectum cernimus, ut iuuenes, pueri, senes,
omniumq. ordinum homines te caritate in-
credibili, amoreq. prosequantur quod omnium
in te oculi, quocunq. gressum tuleris, conij-
ciantur, quod fausta tibi omnes omnia, feli-
ciaque precentur. Docti autem, eruditiq.
homines quam fuerint in tui studium perpe-
tuo incitati minime mirum videri debet, cum
te non solum literarum cultores amplexum
fuisse, constet, sed ipsa etiam literarum stu-
dia cum laude maxima coluisse. Quid enim
memorem quantopere Salmanticensis Aca-
demia tuam olim insignis pueri excellen-
tem indolem, praest. q. ingenium fuerit ad-
mirata? nec tacitis tantum iudicijs, sed cla-
rissima

rissima omnium voce, publicisq. laudibus con-
testata? Nam & in Latinis literis, & in ma-
ximarum artium disciplinis ita excelluisti,
ut non solum cum ingenuis, ingeniosisq.
adolescentibus, sed cum eruditis, veteranisq.
hominibus iudicij maturitate, dicendiq. arte,
rerumque cognitione æquandus esse merito
videreris. Quod cum mihi in mentem veni-
ret, cumq. te & institutione, & animi pro-
pensione, & quod caput est, natura bonitate
talem esse cognoscerem, ut labores, curasq.
omnium ad publicam praesertim vtilitatem
aliquam spectantes, inuare libenter velles,
hoc quidquid est operis in tuo nomine euul-
gari, ut patrocinio tanto munitum, facilius in
manus studiosorum venire, & quasi per te
posset insinuari. Nec verò amplitudinem me-
tuam exigua hac rerum tractatione, tenuiq.
materia offensurum esse existimabam. Cum
haberem satis compertum, & summos Im-
peratores fuisse rem Grammaticam comen-

tator,

UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

GREDO.SAL.ES

atos, & summis Imperatoribus Grammaticarum commetationum libros sæpiissime dedicatos. Mihi autem nil antiquius, honestiusq; esse potest, quàm in his rebus elaborare, quibus neglectis, eloquentiæ studia negliguntur, quæ nisi colantur, polianturq; diligentius, nostrorū hominum scripta licet sint erudita, semper tamen arida, insulsa, horridaque appareant, est necesse. Accipe igitur vir clarissime, atque humanissime, nostrum hunc libellum, meamque iuvandi bonas literas voluntatem adiuna: quæ licet apud nostros iacere trecentis pene ab hinc annis sint visa, auctoritate tamen, opēq; tua, tantiq; nominis auspicio recreata, in suum spero, decus, dignitatemque pristinam restituentur. Vale.



FRANCISCI
MARTINII LVSI-
tani de Grammatica profes-
sione, Declama-
tio.

IN GRAMMATICOS.

 Amet si compertum habeo, iudex incorruptissime, arduum esse, ac perdifficile, opinari, ut animis hominum multo tempore insitas tollere: ponūque aliquid cōtra mores ubiq; receptos inducere: tamen cum veritatis ea sit vis, & natura, ut aliquando in lucem erumpat, nec latere, aut opprimi omnino possit, libentius hoc onus, officiumq; suscepi, nec dubitavi consuetudinem inueteratam reprehendere.

dere, & vulgo rem probatissimam improbare. Est enim mihi de Grammatica artis deprauata institutio dicendū, & in Grammaticos homines multo etiam acrius disputandum. Quod si in liberis ciuitatibus libera esse iudicia, liberaeq; linguas decet, omnisq; disceptatio de literis, & moribus instituta, audientiam sibi facere ipsa solet, summo opere ego ab humanarum artium studiosis peto, vehementerq; iure humanitatis postulo, ne statim huius orationis initio offendantur, vixq; intellectam institutime rationem tacito aliquo preiudicio damnet. Parumper attendant potius, causamq; expendant prius, sententiamq; disferre in extremum velint. Quod si fecerint, remq; peius totam cognouerint, spero mihi non solum nihil repugnaturus, sed magnas etiam vtro gratias habituros. Non ego male dicendi studio, non odio, aut spe aliqua indutus, ad accusandos optimarum artium doctores, descendam, nec in tales viros tam bene de rebus humanis meritos, tam male ani-

ma

matus videri debeo. Illos hodierno die in iudicium vocandos existimo, qui cum iuuentutem erudiendum susceperint, inutilibus praeceptis, nugisq; inanissimis generosa ingenia impediunt, nec sinunt, disciplinam optimam, optimum vitæ tempus impendi. Doleo enim Iudex exquisitus, nec temperare iustæ indignationi possum, cum videam teneros, & incautos animos ab imperitis hominibus, speciem quandam doctrinæ præ se ferentibus, tam facile, & inhumanè deludi, tamq; impune præclaram indolem rebus commentitijs, docendiq; inficicia, ac prauitate corrumpi. Grauiora sunt, atq; indigna, quæ in prima literarum institutione peccantur, existimantur tamen leuia, & a plerisq; etiam doctis tanquam puerilia negliguntur: quasi non optima conueniat, puerili ætati exhiberi: & maximarum rerum non maxima haberi fundamenta debeant. Ego vero cum perturbatis disciplinarum vitijs, obscurari, ac deprauari solere cætera, non inaduertam, rei literariæ causam summæ animi concentia-

2107B

A 2

ne

ne defendam: quantumq; ingenij mediocritate potero, superstitiosa Grammaticorum præcepta; ineptas subtilitates, deliramenta plusquam anilia profligabo.

Vt igitur mēstrari apertius res tota possit, principio de artis natura dicam, copiosius, deinde Grammaticorum mores, ingenia, atq; studia commemorabo. Omnes artes ingenuas, quæcunq; hominum industria, solertiaq; sunt inuenta, de rebus esse, aut verbis necesse est, mentis enim cognitio, atque omnis actio vel in rerum naturis inspicandis, vel in sermonis peritiis, & cultu posita est. Scientias, quæ sunt de rebus in præsentia omittamus, nec enim Grammatica (si modo in aliquo artium genere ponenda est) rerum naturam aliquam contemplatur, in sermone tota, & loquendi ratione consistit. Loqui autem si ornate, & eloquenter intelligas artem esse non negamus, pure tamen, & simpliciter loqui, (ut res ipsa, experientiaq; declarat) non tam artis alicuius, quam consuetudinis, auditionis, & le-

ctionis,

ctionis esse, contendimus. Nam quemadmodum linguas alias præceptis omnino nullis, nulla arte instructi perdiscimus, sic percipi commodissimè latina posset, si illius studiosi reiectis Grammaticorum molestis, inanibusque præceptis, cum viris eloquentissimis Latine colloqui consuescerent, vel in Latinis scriptoribus, adhibito interprete aliquo versarentur. Cum autem prouectiores in lingue cognitione iuvenes artificiosi sermonis cultum, & ornatum quærerēt, tū illis iam præceptis, & arte iam opus esse aliqua videretur: hanc tamen ita ornate, artificiosoq; dicendi facultatem, & copiam non Grammatica vlla, sed rhetorum præcepta suppeditant. Rhetorica hæc est communis linguarum omnium, & maxime utilis disciplina: Grammaticorum autem præcepta ferè vanissima sunt commutata, inuenta; hominum ociosorum. Opponet hic aliquis (sat scio) veterum auctoritatem, obijciatq; nobis, doctissimos, prudentissimosq; viros, linguarum scientiam ad artem, & præcepta

A 3

præcepta iam olim reuocauisse, eaq; sermo-
nis obseruationem nominatam fuisse Gram-
maticam, tot gentium, & populorum iudi-
cio comprobatam, meq; præclare fundatâ,
& constitutam artem frustra velle labe-
factare. Huic ego tamen facile respondere
possum, fuisse quidem nonnullos ex erudito-
rum numero, qui in artem redigere lingua-
rum vsum tentauerint, sed ositanti, vel
exercendi ingenij gratia, & curiositate ma-
gis, quam necessitate adductos, id laboris,
& operæ subisse. Quod nostris etiam tem-
poribus ab ingeniosis hominibus factitatum
videre adhuc licet. Multi enim Italicam,
Gallicam, & Hispanicam linguam præcep-
tis quibusdam veluti constrinxerunt, & ser-
monis artem quodammodo confecerunt.
Quod licet ab illis scienter fuerit elabora-
tum, neminem tamen in ijs linguis addiscen-
dis, præceptis vllis vsum vquam fuisse cõ-
stat. Permulti sunt profecto in media Hi-
spania nati, perpetuoque versati, qui se Ita-
licæ aut Gallicæ linguae studio dedunt, & in-

tra Hispaniæ terminos peregrini sermonis
intelligentiam, & loquendi etiam copiam
consequuntur, hi tamen nihil curare minus,
quã præcepta sunt soliti. Si quem forte sunt
naçti illius linguae peritum, quã addiscere cõ-
cupierunt, ad illius se totos imitatione cõpa-
rati, illi dicendi ratione ex primis effinguntq;
paulatim. Vel Ariosti Itali, aut Maroti Gal-
li scripta euoluere, atq; imitari solent, maio-
resq; exiguo tẽpore in linguarum cognitione
illa progressus habet, qui quiuis vquam in
Latinis literis, arte Grammatica instructissi-
mus. Nec erit, credo, hic mihi longa proba-
tione opus, peruulgatum est, abundeq; multis
experimētis, nostrorumq; hominū exēplis te-
statum, quò quisq; pluribus sit præceptis im-
butus, eo ad Latine sciendum, & loquendum
tardiorẽ, ineptiorẽq; reddi. Quã quidem re
nullam ego mirabiliorem, vel miseriabiliore
potius, in literarum studijs esse puto. Quid
enim stultius, quam tot præceptis audiendis,
scribendis, ediscendis, tractandis, & retra-
ctandis torqueri, longissimiq; tẽporis, mole-
stissimiq;

stissimiq; negotij tedium sustinere, cum facili, & iucunda auctorum lectione, auditione, imitatione, paruiq; temporis exercitatione comparare linguae cognitionē possis, eruditionemq; pariter, & voluptatem capere incredibilem? Mirè enim docta optimorum auctorum enarratio animos allicit, rerūq; varietate detinet, ingenium acuit, linguam excolit, prudentiam alit, mentem saluari doctrina instruit, ad resq; gerendas multiplici antiquitatis, historiarumq; noticia instruit. Illa verò praeceptorum insusius, horridaq; tractatio, dici non potest, quante opere ingenij nervos, vimq; omne obterat, atque elidat, quam vanis impedimentis occupet, obruatq; memoriam: Quam merito ille queritur maximus non dicendi modo, sed etiam docendi auctor, & magister Fabius. Quo tempore (inquit) praeceptis alenda ingenia, & indulgentia quadā enutrienda erat, asperiorum tractatu rerum atteruntur. Quam saepe parens ipse eloquentiae Cicero stultam eorum improbat diligentiam, qui

ad ar-

ad artem omnia reuocanda esse existimant. Vetus haec est doctissimorum summorumq; hominum querela, qui praeceptis deprimi, contundiq; ingenia indignantur. At quam praepostera Grammaticorum iudicia, quanta prauitas, & pertinacia, quam infelici labore, quot superstitionibus implicati, in quanta rerum inanitate versantur: qui praeceptorum ambages, ineptiasque omnes, & tricas ita sunt perpetuo consecrati, ut veram, solidamq; doctrinam sibi ipsi inuidisse videantur? Experientiam linguarum cognitio, diligentiamq; postulat, assiduāq; auctorum imitationem: non artificium ullū, non accuratam aliquam inquisitionem, praeceptorumq; machinationem. Nec enim Latini sermonis scientia talis existimanda est, quales illae sunt, quae in subtili disputatione, sublimiq; rerum contemplatione sunt sitae: in actione tota posita est, solaq; verborum animaduersione, & observatione quadam, & usu pure, & incorrupte loquentium continetur. Quis unquam agricolationi, arbor-

xum infitioni, vitium putationi operam daturus cum esset, non ab ipsis agricolis quoque; res tempore, & quomodo facienda esset, cognoscere, & experiendo observare maluit, quam Magonis Carthaginiensis, aut Varronis de re rustica præcepta perdiscere? Quis de instruenda acie, de signorum collationibus, oppidorum oppugnationibus, deque omni re bellica administranda, non summos Imperatores, clarissimosque bello viros sibi aduendos, atque imitandos, armaque tractanda, militiamque exercendam censuit, potiusquam Cinna, aut Curi legenda, memoriaque complectenda volumina? Quamuis ergo Grammaticorum ingenij, singularique industria inuenta, & perfecta sit ars, quis non potius ipsos auctorum fontes liquidissimos, & uberrimos adire, ex hisque Latini sermonis elegantiam, & copiam haurire malit, quam artem ediscere laboris, molestiaque plenissimam? Quid? quod loquendi usus, qui multiplex est, & varius, nullis unquam præceptis completti

Gram-

Grammatici potuerunt, quantumvis ingenium artis apparatus, præceptorumque mole immensam sint machinati. Vanissimis potius inuentis dicendi studiosos impedierunt, quæque in promptu erant, obscurarunt omnia, & infinitis ambagibus inuoluerunt: talemque artem composuerunt, qualem Cicero à Chrysippo, & Cleante, olim conscriptam fuisse commemorat, ut si quis obmutescere forsitan vellet, nihil aliud deberet discere. Cum Annibal Carthagine expulsus, Ephesi apud Antiochum exularet, proque eo quod eius nomen erat magna apud omnes gloria, ad audiendum Phormionem nobilem illis temporibus Peripateticum fuisse dicitur invitatus: cumque philosophus de imperatoris officio, deque omni re militari aliquot horas copiose disputasset, ceteri, qui audierant, vehementer summe delectati, querebantque ab Annibale quidnam ipse de tanto illo Philosopho indicaret. Illic Pœnus libere respondisse fertur, multos se deliros senes sœpe vidisse

vidisse, sed qui magis quam Phormio deliraret, vidisse neminem. Derisit merito hominis inscitiam, & imprudentiam Annibal. Quid enim stultius, & arrogantius, quam cum qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset, nullam denique publici muneris partem attigisset, de re militari velle dare praecepta? Hoc idem mihi facere videntur Grammatici ludimagistri, qui contrita, & per-nulgata praecepta decantantes, de recte loquendi arte praeipiunt: quod enim ipsi experti non sunt, id alios docere non dubitant: nec minorem devidendi sui materiem dicendi peritis praeber, quam Annibali olim Phormio. In hoc tamen nostri praeclare sibi prospiciunt, & Phormione illo vetere multo sunt cautiores, quod doctorum deuitantes ora, apud adolescentulos verba faciunt, & facile quae volunt, credulis persuadent.

Horum igitur vanam, commentitiamque esse artem, vel ex eo facile cernitur, quod illius institutores, & magistri, qui se loquendi scientiam tenere, docereque posse iactant, loquendi

loquendi plane sunt rudes. Nihil contra hominum dignitatem loquor, nihil fingo, res est notior, quam ut dissimulari queat. Vidi saepe numero doctissimos viros vehementer admirari solitos, quid esset, quod aliarum artium doctores, qui de rebus magis, quam verbis laborarent, Latino, tersoque sermone vterentur: Grammatici autem, qui de verborum proprietate, & elegantia tam multa praecepta, tamque accurata, quae sita, tractata, disputataque haberent, corruptissime tamen omnium, atque ineptissime loquerentur. Videre est veteranos magistros (si quando res postulat, ut Latine de re aliqua sit dicendum) quantopere dicendi inopia laborarent, in quas angustias redacti, haerant, conturbentur, sudant: tunc.

Rarus sermo illis, & magna libido tacendi. Quique modo in suis angulis, & umbratili schola eruditionem mirificam ostentantes, summa animi, & vocis contentione clamabant, quovis stentore vocaliores: in publicis hominum conventus, lucemque produ-

eti, si-

Et silentio vincunt pisces. Quod si qui sunt, ex horum numero, qui aliquando Latine loqui forte concupierunt, ita loquuntur tamē ut prestaret in perpetuum obmutuisse. Genus enim dicendi inconditum, vastum, obscurum, distortum, ipsisque peculiare affecerant. Et, ut sunt plerique stulce ambitiosi, dum nimis elegantes, & magni verborum architec̃ti videri volunt, perspicuam, naturalemque loquendi rationem, quasi vulgarem aspernantur, verba rara, dura, aspera, & obsoleta conquirunt: quoque accuratius student dicere, hoc loquuntur peruersius. Sunt & alij, & hi quidem non pauci, qui expeditam, & extemporalem dicendi copiam non modo non consecutos, sed ne secutos quidem vaquam magnopere se fuisse dicant: quod suam omnem operam ad scribendum conferre maluerint, fructuosiusque, & praestantius existimauerint, cognita sua litevis consignare, & culta, & limata scripta posteritati relinquere; quam inani garrulitate, (sic enim

enim appellant) & lingua volubilitate excellere. O egregiam infantie causam, artificiosamque ingeniosorum hominum excusationem: quasi non optimus dicendi effector, ac magister stylus esset, & qui multa scribunt, non iidem optime, & excultissime eloqui possint.

Condonemus hoc tamē Grammaticorum imperitiæ, fingamusque loquendi studium, cum scribendi studio pugnare: liceat sane tam strenuis scriptoribus Latine nunquam loqui, dum scribant modo, & dignum aliquid immortalitate promant. Expecto tamē hæc tam meditata, & laborata scripta, quid commodi rei literariæ afferant: magnum quiddam, recoditum, & abstrusum esse oportet cuius gratia reliquum omne dicendi studium studiosi homines repudiarunt. Prodeant ergo præclara opera, & in communem studiorum utilitatem emittantur. De concordantijs, discordantijs de notitijs, de kalendis, de regimine, de formatiōibus, de relatiuis, de patronimicis, de præ-

posi-

positionibus, de coniunctionum, aduerbiorumq; qualitatibus, de collectiuis, de diminutiuis, de synonymis, de integris, & corruptis dictionibus, de verbis excepta actionis, de ordine constructionis, innumeraq; huiusmodi, & infinita volumina, ineptiarum omnium, & quiskiliarum referta, patientissimis auditoribus ediscenda tradunt, & in vulgus edere non verentur. Hæ sunt Grammaticorum scriptiones, hæ commentationes, hæ magnarum vigiliarum opera: hæc aly ab alijs paucis immutatis verbis, transcribunt, deq; lingua Latina bene meritum nomen adepti, suæ artis artifices habentur. Aueo iam audire quid hos præceptorum coacervatores, & artifices in eam mentem impulerit, ut Grammatica artis opibus destitutum, ad Latinæ linguæ cognitionem neminem peruenire posse crediderint. Hispanicam, Gallicam, Italicam, simileq; linguas sine præceptis fatentur perdisci posse, Latinam posse negant, quod illæ nullam in nominibus, & pronominibus casuum varietatem habeant,

habeant, hæc magnam habeat, ac perdifficilem. Latini enim homo, hominis, homini, & hominem dicunt: Hispani, & Galli nulla huiusmodi variationum difficultate torquentur. Atq; inde colligunt cognoscendam Latinæ linguæ artem esse necessario adhibendam. O acutos homines, quam facile, quod efficere volunt, concludunt, quæ paucis verbis quantam præceptorum molem; quanta nugarum volumina tueri se posse putant. Si propterea necessariam Grammaticam artem censent, quod illam in nominibus casuum varietatem doceat, tradatur sane illa casuum variandorum ratio, quæque ad nominum declinationes præcepta pertinet, retineantur: cætera tam multa, & inutilia reijciantur. Quid tanto apparatu, tantaq; artis molitione est opus, breui tota variandorum nominum pronominumq; do Etrina describi, & explicari potest. Instituitur itaque ars Grammatica, propriumque illi munus assignetur, vanissimis alijs impedimentis, & molestijs pueri liberetur.

B

Coniun-

Coniunctionum qualitates aduerbiorum multiplices proprietates aboleantur: tumultuosæ comparatiuorum, & relatiuorum quaestiones submoueantur: & (ut interim ineptiora taceam) Gerundiorum, supinorum, impersonaliumq; verborum disputationes, altercationesq; conticescant: sola variandarum orationis partium cura suscipiatur. Ita breue, facile, & exiguum est, quod arti, & praeceptis relinquitur. Sed qua se ratione Grammatici tuebuntur? quam quærent latebram? si, ne id quidem, quod exiguum est, obtinebunt, nego enim, nego nominum variationes praeceptis ullis indigere, necessariam esse artem nego, omnia visu, & loquendi, & legendi consuetudine percipi, ac tene ri posse confirmo.

Quod quàm facile sit probatu, parumper, quæso, attendant, fieri non posse (inquiunt) ut casuum, quas habet Latina lingua terminationes, quisquàm nisi praeceptorum ope distinguat. Quid dicant fatui, & mentis stupore attoniti ipsi non intelligunt. An non
etiam

etiam Hispanorum, ceterorumque hominum linguæ diuersas habent vocum variationes, si non in nominibus, ac certe in verborum vocibus, & temporibus & quidem maiores, ac difficiliore multo, quam illas, nominum, & pronominum Latinarum. Faciat in sua quisque vernacula lingua periculum, verbum sibi proponat aliquod, nonne maximam deprehendet numerorum, & temporum variationem, quæ tamen non praeceptis, sed consuetudine, sed imitatione, sed auditione perdiscitur. Quid obstat ergo, quo minus in Latina lingua nominum casus distinguere, ac variare visu edocti possimus. Sed spinosa hæc relinquamus, apertiusque, & crassius cum crassis hominibus agamus, volo mihi respondeant, si modo rerum cognitionem aliquam, & antiquitatis notitiam tenent. Quo tempore Romani duces per totum pene orbem Latinam linguam simul cum imperio propagarunt, quibus praeceptis, qua arte nationes illas barbaras

Romani sermonis usum docuerunt? Nec enim negabunt Hispaniam, Galliam, magnamq; Asiam, atque Africæ partem Romanorum linguam olim accepisse; adhibuerunt ne Grammaticos professores, qui artem Grammaticam explicarent, & præceptis ad Latine loquendum rudes homines instituerunt: nihil profecto minus. Qua ergo ratione Latine linguæ peritiam tot adepti sunt populi? tot prouincia? ea certe, quæ certissima est omnium, & commodissima. Versabatur cum Romanis assidue, cum legatis, cum præfectis, cum quæstoribus, Romanorum literas, edicta, leges, acta, fœdera audiebant: Romanos diligenter auscultabant, Latineq; loquentes omnes studiosissime amulabantur. Ita linguam prius ignotam facile arripuerunt, familia remque sibi propriamque reddiderunt, cur ergo sine præceptis hoc idem assecuturos nos esse desperemus? Cur non undique viros Latine loquendi peritos asciscimus, ad quorum nos imitationem comparemus? Nec enim tanta docto-
rum

rum est paucitas, ut nusquam inueniri possint, qui nobiscum Latine loquantur, Latinosque autores, scienter, & fideliter interpretentur. Quod si fieret minore tum temporum, tum pecuniarum dispendio quod tam multis præceptis, tam infeliciterque tentamus, consequeremur. Huc accedit, quod Latina lingua non adeò difficilis, & abstrusa est, ut ad eam pertingendam, tot præceptorum machinis opus esse videatur. Notissima est, & nobis familiarissima: Latine res sacras peragimus: Latinas Deo preces offerimus: Latinos Psalmos canimus: Latinis vocibus omnia passim perstreperunt, ut mirandum sit, aliquem tam trita & vulgaris esse linguæ ignarum. Præterea Romanus sermo non multum à vernaculo Hispanorum, atq; Italarum sermone distat: coniunctissimus est potius, ac pene idem, unde, & Romance, quasi Romanus, vulgo appellatur. Perdurassetq; ad nostra usq; tempora integrior, & incorruptior, nisi infusa olim peregrinitate fuisset oblitus: cum natio

In Grammaticos.

nes illæ barbaræ, quæ Septentrionem incole-
bant Gothi, Alani, Sueui, Hunni, Vandali,
Longobardi, in Italiam, Occidentemq; to-
tum imperio inuasissent. Nec tamen Lati-
nus sermo ita contaminatus est, ut antiquæ,
& Romanæ linguæ effigiem non adhuc in
eo, quo vulgo sermone utimur, agnosca-
mus. Quam plurima enim licet enunciare,
quæ vernacula nobis, eademque Latina
sint: idque passim factitarunt multi: ut si-
quis exempli gratia dicat.

Tam inutiles, tam vanas, artes tra-
ctant gentes, tantas machinas procu-
rant, exquisitas, superfluas, prolixas,
quæ quantò maiores, tantò est ma-
ior molestia. Monstrando se curio-
sos dant doctrinas non necessarias,
collocando tantas horas, deprauan-
do tantos animos, ocupando memo-
rias, quæ quando se collocant in ar-
te fructuosa, dant grandes fructus.
Eloquentia Romana est facillima, si
professores non tam varias tam dis-
crepan-

In Grammaticos.

I 2

crepantes opiniones renouassent. Si
in arte Grammatica inquirent cau-
sas philosophicas, ociosa diligentia,
indocta doctrina est, quæ quantò ma-
ior, tantò peior est, tantò est maiori
impedimento.

Versus quoque quidam Latina fi-
mul, & Lusitana lingua confi-
ciunt.

Quam illustres, quam excellentes, o terra trium-
phos

Acquiris? tua perpetuo victoria clara est:
Contra peruersos te armas animosa tyrannos,
Tu, rogo, florescas gentes mactando feroces,
Per longos annos vinas tu terra beata.
Pagana tu perpetuo de gente triumphes.

Satis ergo, superque constat, Latine
linguæ facilem, & expeditam esse cog-
nitionem, nec longis, laboriosisq; Grammati-
corum præceptis magnopere indigere.

Sed volo iam Grammaticis hoc dare, &
morosis hominibus morem gerere, licet ma-
gnâ de mea causa iacturam fecero. Sit sane

B 4

vile

utile, linguarum studiosum arte, & præceptis instrui: detur hoc consuetudini, quæ inueterata conuelli, non facile potest. At certe longis præceptorum voluminibus modus erat aliquis adhibendus, circuncidenda, & amputanda erant, quæ nihil Latinas literas adiunarent, non cōmiscenda, quæ aliena essent, quæ propria aperte, simpliciterq; tradenda: non opinationibus, non vanis questionibus inuoluenda.

Qua in re, index æquissime, animo ades, obsecro, & mihi optimarum artium causam defendenti, benignas aures accommoda: dabo operam, quod potero, ut me dicentem, sine molestia audias, & Grammaticos plane indoctos fuisse homines, ac male sentientes intelligas. Atque ut inde initiū sumam, quod horum malorum fons est, & caput, qui primum tractandæ artis Grammaticæ prouinciam obierunt, tardo atq; hebeti fuere ingenio: & qui magnarum artium studia vel omnino nulla, vel leniter attigerunt. Quo fieri necesse fuit, ut nec veros disciplinæ

disciplinæ fines cognoscere, nec veram instituendi viam ingredi, illo modo possent, & quemadmodum cantherius ille Galbæ longum iter facturus in porta cecidit: sic imperiti homines in ipso statim suæ professionis initio impingunt limen. Grammaticam, quam rectè loquendi artem definiunt, ita instituunt, ut nihil minus, quam sermonis artem explicare velle videantur, præcepta enim ab illis exquisita undique & collecta, accersita, comportata, ad nullum conferunt, aut loquendi, aut scribendi usum, sed sola artis tractatione, & commentatione contenti, innumeras, argutias, tricasque ineptissimas attentissime persequuntur: in ijsque excutiendis, ac dilatandis, omnem operam, tempusque ponunt, ipsiusque artis causa exercent artem. Non intelligunt insipientissimi, non sentiunt, instrumentum aliarum artium potiusquam artem Grammaticam esse existimandam: non vident inania, ridiculaque esse præcepta, nisi ad dicendi facultatem, ad poeticam, historiam, aliarumque rerum



rum parandum prudentiam accommoden-
ter? non animadvertunt illud, cuius gratia
comparatum instrumentum est, potissimū
tractari, curariq; debere: instrumentum nō
nimis diu preparandū, nō anxie exornandū,
expoliendūq; esse, sed utcūq; aptandū,
operiq; adiuuendū, opus quam citissime
aggreduendum, suscipiendum, exercendūq;
esse, atq; omni studio perficiendum. Quis pi-
ctorem ferat, in pennicillis componendis, te-
rendis coloribus, preparandis vasculis: sta-
tuarium in cultris acuendis, in conquirenda
dolandaq; materia, totam operam, & vitā
insumere, nihil prorsus pingendo, nullum vn-
quam opus edendo? Quis citharādū in colli-
gandis, ordinandis, cōrendēdisq; fidibus sem-
per intentum, concentūq; nullum efficientē,
non sibilis & conuirijs explodat, longeq; ab
hominum cœtu ablegandū putet? Nos Grā-
maticū praecepta praeceptis accumulantem,
praecepta semper molientē, sine vllō laboris
effectu vagantē, multorūq; ludentē opera,
patiēter feremus. & mercede etiā & prae-

mijis

mijis prosequemur? Si illa dumtaxat Gram-
matici praecepta darent, quae ad linguae cog-
nitionem autorūq; lectionem (quae latissi-
mē patet eruditio) pueros quasi manu duce-
rent, nemo improbareret, nemo illorū institu-
tum damnaret: ac iuuentutis annos, tota q;
saepē aetates in rudissimis illis rudimentis con-
tritas, vanissimis praeceptorum impedin-
tis tenera ingenia obstricta, nihil vsui reli-
ctum esse, nihil imitationi, quis non flagitio-
sum clamet, & poena, supplicioq; multādū?

Publicae fuerunt execrationes Athe-
nis olim sancitae, in eos, qui erranti viam nō
demonstrarent: at quanto iustius huiusmodi
magistri execrandi, diuisque omnibus de-
uouendi erant: qui ad sapientiae studia non
solum non monstrant viam, sed oppositis
etiam saxis, vastissimisq; molibus adi-
tum omnem obstruunt, quosq; deducere in
planum deberent, in inuia dumeta, horrida-
que sentes inducunt, saepē etiam in scopulos,
& praecipitia impellunt. Via est ad maxima
rū rerū scientiam Grammatica, methodos,

huc

quæ ab omnibus appositissimo nomine appellatur. Sit ergo facilis, aperta, simplex, & quoad fieri potest, breuissima, & expeditissima. Quis longiorem vnquam, impediremq; dedita opera, fecit viam? quis non cōficere quam citissimè studet? aut quid insanius quàm in itinere molestissimo esse, in eoq; sistere, quam progredi malle? Atque hoc minus mirum videri posset, si locorum amœnitatibus, ac delicijs detentus aliquis, diutius hæret in via, vt de socijs Vlyssis Homerus memoriæ prodidit, qui gustata lotho, quasi obliti viæ, peregrinæ terræ voluptatempatriæ præferebant. At Grammaticæ tractationes quid amœnitatis habent? quid non horroris, & scalaris potius? qua detinere quèquam voluptate possunt? quid gerundiorum perscrutatio, coniunctionum peruestigatio, comparatiuorum, relatiuorumque euolutio delectationis habent? O valentissimi stomachi, qui hæc deuorare, & conquare potuerunt. O misera, & sterilia ingenia ad paleas, & siliquas non ad frugem nata.

ta, Quis mentem inuasit stupor, quò vsque iuuant ludibria? quis delirandi modus? Sed quid miramur? mendacij, & vanitatis nullus esse potest finis: sæcundissima est materia, vasta, multiplex, infinita. Et ne angustior esset ad nugandum campus, nō solum, curiosi homines de his rebus disputationes instituerunt, quæ ad suam artem quodam modo videri poterant pertinere, sed, vt magni & ingeniosi artifices, dum suæ professionis terminos proferre ac dilatare conantur, quæcunq; forte audierunt, quæcunq; malè intellecta legerunt, in Grammaticam inuexerunt, & confuderunt omnia. Traxerunt à Dialecticis definitiones, diuisiones, argumentationes, actiones, passionis, substantiæ & accidentis nomina, formales, materiales acceptiones, diuersitatis, identitatisque relatiua, primarum causarum, & finalium coniunctiones, vanissimaq; alia appellationum genera, & pueris difficilia, & à Grammatici officio alienissima. Dixerat M. Tul. primo Offic. libro, omnem de re aliqua susce-

ptam

ptam institutionem debere à definitione proficisci, vt intelligeretur quid id esset, de quo disputandum esset. Arripuerunt hoc protinus ludimagistri omnes, & sibi à Cicerone præceptum fuisse putauerunt. Omnes ergo vel apertissimarum, minutissimarumque rerum tractationes à definitione sunt exorsi, quærere itaq; cœperunt, quid litera, quid syllaba, quid dictio, quid oratio, quid constructio, quid vox, quid sonus, quid numerus, quid casus, quid declinatio, quid genus, quid modus, quid tempus, quid persona, quid regimen, quid comparatio, quid actio, quid passio, quid possessio, quid collectiuum, quid denominatiuum, quid infinitiuus, quid gerundiuum, quid supinum, quid pes, quid versus, quid crementum, quid accentus, quid cæsura, quid quantitas, quid spiritus, quid epistola, quid titulus, & huiusmodi innumera, quæ nemo sanæ mentis non videt, facile dumtaxat animaduersionem, communemq; intelligentiam non diffinitionem aliquam

aliquam desiderare. Quod si Ciceronis auctoritate adducti Ciceroniani homines omnia definire statuerunt, Ciceronem ipsum audiant & melius quæso, intelligant: qui cum primo de bonorum finibus de honesti natura disputet, honestum (inquit) quale sit non tam intelligi definitione debet, quam communi omnium iudicio, & optimi cuiusque studiis. In Academicis etiam à magnis philosophis definiri solere negat, quid cognitio sit, quid perceptio, & quæcumq; clara, & euidentia essent. Geometria quoq; quæuis in recondita, subtiliq; arte versentur, non tamen omnia docere definiendo solent, sed postulare, vt quædam sibi concedantur. At Grammatici suæ artis dignitatem imminui, decretaq; prodi putant, si earum rerum, quæ maximè patent, in promptuque sunt omnibus, definitionem aliquam prætermiserint. Nec vero facili aliquarum rerum descriptione contenti sunt diligentes ludi magistri, Dialecticam totam in constituendis definitionibus adhibent, summa-

summaq; rerum genera, & differentias perueſtigant. Quidam etiam prouectioribus diſcipulis definitiones alias accuratiores, perfectioresq; tradunt, quam antea rudioribus conſueuerant. Dumq; vera definiendi ratio exigitur, veraq; examinantur proprietates, rerumq; naturæ, opiniones variæ, quaſtioneſq; perardua de tota re Grammatica ſuſcitantur. Queritur namque vtrum verba aliqua impersonalia ſint? an nulla omnino ſint? vtrum ablatiuus dici abſolutus aliquando poſſit? an aliunde ſemper pendeat, neceſſe ſit? diſtingui ne pronomina ab alijs partibus orationis debeant? an cum nominibus conſundenda ſint? Supinum, quod vltimum vocant, ſit ne nomen, an pars verbi potius appellanda? an perſona ſit verbi propria, an cum nomine etiam ſit habenda communis? An gerundium ſit ad verba, an ad nomina referendum. Deque his rebus tam acriter, & contentioſe certatur, quam ſi maximorum regnorum ſalus, & vita ageretur. Impatientiſſime ferunt magiſtri, ſibi repugnari,

repugnari, argutiſſimè diſputant, rixanturque perpetuo, pro ſuiſq; decretis pugnaciſſime digladiantur. Aſſueſcunt quoq; pueri vanis concertationibus, maledicentiæ, inuidentiæ, pugnis, odio, iracundiæ, dum ſuas ſe etas deſenſitare incipiunt. Aſcenditur adhuc altius, & in naturæ penetralia ſe quidam ingerunt: omniaq; quæcunque loquimur ad phyſicam rationem traducunt: magniſque editis voluminibus linguæ Latinæ cauſas nobis eruere, & explicare ſunt aggreſſi. Nec ſecus hac de re diſſerunt, ac ſi antecedentibus, & naturalibus cauſis definitum, conſtitutumq; eſſet, quidquid olim primi Latini homines ſunt loquuti. Summaque vi, & neceſſitate fuiſſe rebus impoſita Latina vocabula aſſeuerant, non libera hominum voluntate, non caſu, non conſuetudine, non uſu.

Quæ penes arbitriū & ius, & norma loquēdi. Refert. Aul. Gellius, ſui ſæculi Grammaticum non ignobilem naturalem hanc vocum conſtitutionem multis argumentis, at-

C

que

que exemplis colligere consueuisse: atque inter alia hoc maxime lepidum, & festinum fuisse: duo illa pronomina nos, & vos, distinctas, ac diuersas personas naturaliter significare, idque declarari facile, si quis attentè proferendi rationem obseruaret. Nam cum dicimus nos, spiritum intra nos recipi (aiebat) & vocis sono quasi reciproco, nosmetipsos significari, cum verò diceremus vos, spiritu quasi foras emissio, rem à nobis seiunctam, personamq; notari externam. Atque hoc in alijs tam Græcis, quàm Latinis vocabulis accidere, bonus ille philosophus ostendebat. Innumerasq; huiusmodi argutias, suorumq; temporum deliramenta persequitur Gellius, meritoq; deridet. Fuit quidem olim superstitiosum hoc Grammaticorum genus, de literis, de syllabis, de totaque Grammatica multa falso, & inutiliter confingentium, sed nostrorum hominum ingenia multò se latius effuderunt, fecundioraque in hoc præclaro philosophandi genere fuerunt. Nec enim singularum vocum,

C

& appellationum origines, sed loquendi formularum, præceptorumque omnium causas, rationesque sunt perscrutati, arcanaque prioribus seculis inaudita aperire, in lucemque proferre studuerunt. Atque (ut è multis attingam pauca) fuisse, qui ingenti supercilio, totiusque vultus asseueratione veteres Grammaticæ artis scriptores in summa rerum ignoratione versatos, Cymmerijsque tenebris inuolutos fuisse clamarent quod quinque verborum genera contra rationem, contraque naturam induxissent: cum omne verbum actionem, vel passionem significaret, nihilque esset tertium, vnde non plura possent, quam duo verborum genera actiuorum, & passiuorum existere. Eiusque rei confirmanda gratia, Aristotelem in primis authorem, philosophorumque argumenta maxima adducebant. Quasi in tradendis Latinæ linguæ præceptis natura rerum, non loquendi ratio, & varietas spectanda esset, aut non potior esset, ad instituentes

C

2

pueros

pueros aperta, ac distincta præceptorum cōmoditas, quā exquisita, & ambitiosa omnia commiscendi, & conturbandi subtilitas. Alius Stoica quadam seueritate inflatus, Grammaticorum errores, & inscitiam miserabatur, quod communia duorum generum nomina esse vlla' crederent, cum nullū natura animal gemini sexus progenuisset. Vsq̃ adeo vt ne in ipsis quidem Hermaphroditis, quos vocant, duplicem omnino sexum deprehendi posse affirmaret, sed alterum semper vel maris, vel fœminæ emineret: tantus naturæ rimator videri Grammaticus hic volebat. Quid illius insanias referam? qui omnium præpositionum vsum, ad tres illas motus species referebat à centro, ad centrum, circa centrum: & penè totas de motu, & quiete, de loco, & tempore, quæstiones philosophicas in tractandis præpositionum effectibus explicabat. Penes vnam esse aiebat, quæ ex omnibus præpositionibus, maximè propria quietis esset nota: quod potestatem immobilem significaret.

ret. Inter vero notā esse relationis ad duo. Accuratè idem docebat, aspirationem præpositionibus detractam magno consilio fuisse, ne crassitudine sua, & mora vocem retardaret, motusq; celeritatem impediret, qui ferè præpositionibus significaretur. Illis etiam, quæ quietem significarent, ob eam causam aspirationem non fuisse adhibitam, quod quies omnis suauiter, & leniter, non crasse, & asperè proferenda esset. O sapiens disputatio, ò præclara inuenta humanæ vitæ maxime salutaria, ò vere homines ocio, & opera abutentes, & plusquam aniliter delirantes, quid has leuiculas, putidasq; quæstiuiculas ad naturæ mysteria reuocare libet? quid incertarum, infinitarumq; rerum rationem certam exigere? quid quæso, hoc est aliud, quam (quod ille dixit) si quis det operam, vt cum ratione insaniat? Sed pergunt philosophari, alius ex rerum naturalium causis nominum casus colligit, & quin que casuum necessitatem ea ratione inuestigat, quod in rebus omnibus qui agit, quod

fit, quod factum recipit, finis, & priuatio spectari debeant. Alius presentia verborum tempora paucissimis syllabis consignata fuisse affirmat, ut amo, propterea quod presentis temporis vix momentum exiguum habeamus, praterita autem tempora, & plusquam perfecta plures habuisse syllabas, ut amabam, amauit, amaueram, quod longiora temporum spacia per has voces significarentur. Nec deest, qui verbum, memini, propterea presentibus caruisse dicat, quod memoria prateritarum, non presentium rerum sit propria, quasi non eisdem temporibus odi, odisti careat, cum sit etiam presentium rerum odium. Ex eadem sunt officina omnium verborum actionem in accus. necessario transmittendam esse, unde illa orationis monstra, ego egentiam pecuniarum, misereor miserationem tui, studeo studium literarum, ut ab omni verbo machinatione quasi aliqua contorto accusatiuum exprimere valerent pueri. Quae omnia de media philosophia repetita esse dictitant. Atque hac

hac philosophia duce, nouam literis altam lucem errorumque omnium discussas esse tenebras gloriantur. O philosophotatos homines, & supra quam dici potest bene de hominum gente meritos. Laudatur Socrates, quod philosophiam primus per sydera, & elementa vagantem, deuocauit à celo, & in urbibus collocauit, & introduxit in domos, coegitque de vita, moribusque differere. Sed multo vos Grammatici magis scilicet in hoc genere laudis laudandi, qui ad nominum, & verborum declinationes, ad gerundia, & supina, ad voculas, & syllabulas omnes philosophiam transtulistis. Scio non defuturos, qui me facere iniquè censeant, quod propter paucorum inscitiam Grammaticos omnes in crimen vocem: cum sint admodum multi, qui scienter, & perite in hac arte versentur, docendique munus magna cum laude sustineant. Sed errat longè, qui prudentem & bene sentientem Grammaticum aliquem inquam fuisse

fuisse credit. Eisdem sunt omnes opinionibus imbuti, eisdem superstitionibus implicati. Nec ego Hugucium, Papiam, Catholicon, Brachilogum, Gracismum, Mamotretum, Ioannem de Garlandia, atque alios huius notæ deliros homines, atque indignos, qui no-
minentur, accuso. Nobiliores, & quasi maiorum gentium Grammaticos imperitiæ, & vanitatis arguo, & conuincio: doctissimorum etiam, & ingenio, eruditioneq; præstantium in hac parte requiro prudentiam. Neminem nominabo, neq; acerbius reprehendam, ne maledicendi magis, quam vera admonendi studio orationem hanc videar instituisse. Legat qui volet horum scripta modo attentè, & iudicio adhibito legat, neminem omnino extitisse Grammaticum professorem comperiet, quem ars ipsa, & professio non penitus infatuauerit. Omnes leuiculis, & minutulis rebus, inutilibusque tractationibus artem referferunt, ineptisq; subtilitatibus, quæstiunculisque vanissimis intenti, fines artium vel ignorarunt
prorsus

prorsus, vel ad destinatos fines præcepta dirigere noluerunt: neque consilio, & iudicio ducti, sed consuetudinis quasi æstu omnes abrepti fuerunt. Cumque nihil magis in re Grammatica sit necessarium, quàm, ut aperta simplicia, & explicata præcepta sint, & solida, & vtilia magis, quàm subtilia, & exquisita, nihil studiosius elaborarunt, quàm ut ea, quæ clara, & facilia erant miris modis obscurarent, artemq; redderent cognitu difficillimam. Atque ut argutuli præstigiatores faciles quosdam modos aliter implicare, & explicare solent, quam in communi vsu consueuimus, ingentemque pueris, & mulierculis mouent admirationem: sic isti verborum inuolucris, & integumentis inuoluerunt, & intricarunt omnia: & ut grande aliquid sonare viderentur, ubi apertè, & Latine dici omnia potuissent, Græcas appellationes usurparunt: quæ Cicero orationis membra ad unum verbum relata appellat, illi protoxeumata, meso-
xeumata, hypoxeumata appellant, qua
C 5 do

de versuum abscissionibus præcipiunt, penthemimerin hepthemimerin, hemipenthemimerin, vocant: non antiquatum dicendi genus, sed archaismon dicunt; non inuersum ordinem, sed histeron proteron: quid illa repetam cataplasmon, metaplasmon, macrologiam, hellinismos, monocolon, brachicatalecticum, & infinita alia? Quæ cum audiunt non dicam pueri, sed grandes quoque, & maturi viri pauent, obstupescunt, & tanquam infauis aliquot vocibus, & inauspicatis terrentur.

Atq; hæcenus, quibus rudes primū pueri, & qualibus instituantur præceptis, ostendimus, iam maiora illa, quibus prouectiores erudiri solent, breuiter attingamus. Atq; in primis quam prudenter in Latinis authoribus enarrandis Grammatici nostri se gerāt, examinemus. In quo munere omnium maximo, & vberissimo, cum illorum eruditio, ingenium, studium vigere, enitereque maxime deberet, imperitia, & inertia maxime deprehenditur. Idque facillè ex eo constat, quod

quod homines tam multum, diuque in mag-
norum auctorum enoluendis, excutiendisq;
libris, exercitati, nihil tamen inde fructus,
vel ad parandam prudentiam, vel ad faci-
diam locupletandam decerpere potuerunt:
in medioq; Latro enutriti, atq; versati, sem-
per tamen quasi hospites, & peregrini vi-
dentur: in summaq; vbertate, & copia ino-
pes, ac ieiuni. At quanta rerum, & verbo-
rum elegantia exculta, quanta eruditione,
quamque omni doctrina genere cumulata
summorum hominum scripta interpretan-
tur? ex quibus non solum copiose, & or-
natè, sed sapienter, mirabiliterque dicen-
di facultatem, & copiam redundare, &
efflorescere oportebat. Nostri tamen nul-
lum solidæ eruditionis, nullum eloquentiæ gu-
stum habent: ac ne intelligunt quidem quid
in illis auctoribus observare, atque imita-
ri debeant. Vnica illis cura, vnicus est la-
bor, si quid fortè in libris incidat, quod ad
aliquam Grammaticarum disputationum
confirmationem possit pertrahi. Hoc per-
petuo

petuo agunt, hoc summo studio conſeſcuntur, nec aliter, quam Aefopicus gallus attentiffimè ſcalpunt ſimum, precioſa omnia prætermittunt. Vt autem omnium artium peritiſſimi videri poſſint, vndiq; occaſiones ſe oſtendandi arripiunt. Si fortè Vergilij interpretandus eſt verſus, Italiam fato profugus, longam de fato diſputationem inſtituunt: & quæ olim Chryſippus, & Diodorus Peridinatō, diſſerebant, omnia repetuntur. Vbi Aquilonis, aut Noti fit mentio, accuratè protinus de ventorum natura, & origine, deque calidis, & ſiccis exhalationibus, deque ſole earū cauſa diſputatur. Ita proprio intermiſſo munere, ſe pro philoſophis, Theologis, & Iuriſperitis venditant. Interim pueri omnibus dicendi, & intelligendi adiumentis, omnibus doctrinæ opibus deſtituti, rerumque inſcijs, atque attoniti, quid ſequantur, aut quo ferantur, ignorant. Noua quoque, & inaudita ſcriptorum ſenſa comminiſcuntur, vt cæteris antecellere, ingenio, exiſtimentur. Eoque detorqueant au-
etorum

etorum ſententias, quo ipſi qui ſcripſerunt, pertinere, nunquam ſuſpicari potuiſſent. Terrent ij verba, & conſilia ita quidam examinant, vt ad morum philoſophiam omnia referant: & quæ apertè, & ſimpliciter ſunt dicta, ſubtili interpretatione quaſi obſcura quædam oracula ponderant: quemadmodum ſi quis omnes omnium hominum ſermones, omnia colloquia argutulis ſubtilitatibus in quemcunque velit ſenſum (quod facilimum eſt factu) traducat. Alius Vergilij Aeneida ad naturæ cauſas totam reuocat, in eoque opere phyſicam contineri ſciētiam vniuerſam contendit. Quid illum memorem, ridiculum & inſanum hominem? in Ouidij Metamorphoſim inaudita deliria effutientem? & tropologicum, quem vocat ſenſum, pueriliter ſomniantem? Operæpretium videre, qui clamores, ac tumultus in authorum enarratione moueantur, de fabella aliqua non perfectè narrata, de loco aliquo ſubobſcuro, quem vtcunque interpretis ſape non magni refert: de inutilibus
vorum

vocum etymologijs, quas Grammaticorū peruersa (vt appellat Plinius) subtilitas excogitauit. De Niobes filiorum numero grauem olim concertationem memorabilemque pugnam inter Grammaticos fuisse scribit Gellius, Horatius quoque de primo versus Elegiaci inuentore ita acriter certare Grammaticos, dixit, vt res iam olim in iudicium vocata, sub iudice adhuc esset. Quo aperte ostendit, non leuiter susceptas inter Grammaticos homines sed sempiternas esse solere de rebus leuissimis controuersias. Huiusmodi ineptas quæstiunculas Satyricus non dissimulauit.

Nutricem Anchisæ, nomen, patriamque nouerget Archemoli, dicat, quot Acestes vixerit annos, Quot Syculus, Phrygibus vini donauerit urnas. In quibus rebus inuestigandis Didymum Grammaticum summam operam impendisse & supra tria millia librorum conscripsisse ferunt. Miserrimi profecto sunt Grammatici, & infelicitissimi semper à sapientissimis viris sunt habiti, meritoque derisi, qui

qui friuolas has nugas tam studiose, & anxie persequantur. Pub. Vergilium, cum rogaretur aliquando, quid obscuris illis versibus ex tertia Ecloga significare voluisset,

Dic quib⁹ interris, & eris mihi magnus Apollo, Tres pateat cali spacium non amplius vlnas, Urbanè respondisse dicunt, crucem se eo loco Grammaticis defixisse. Nouerat probe sapiens poeta Grammaticorum ingenia, & mores, deditaque opera scrupulosis hominibus scrupulum voluit iniicere. Præclarè quoque & acutè Diogenes Cynicus nimis anxiam Grammaticorum in Homero enarrando operam, admirari se vehementer dicebat, quod Vlysis errores, & calami tates tanta animi attentione perquirerent, cum sua ipsorum mala, & infortunia ignorarent. Dies me deficeret, nec finem oratio inueniret, si eruditorum, prudentumque testimonio vellem omnia colligere, Grammaticorum stultitiam, vanitatemque confirmantia.

Nec tamen horum hominum imperitia tantum

tantum nocuisset si cum temeritate, & arrogancia coniuncta non esset: cederent enim doctioribus indocti, & verecundius ac modestius loquerentur, nec tantam in bonas literas perniciem, inuexissent. At nunc superbia quæ impedimentum (ut ait Bias) eruditionis est maximum illorum imperitiam confirmavit. Mirabitur iure aliquis, quid sit quod lutum, & fæx hominum tantopere se efferat, unde tantos spiritusumat, sed qui superbiæ naturam considerabit, intelliget facile inrudes, tardos, stupidos, inconsideratos, hunc animi solere morbum inuadere. Sapientes enim, eruditi, & moderati probe assequuntur nihil in rebus humanis esse, quæ obrem mortalis ullus possit inolescere. Ii namque & vera cernunt & rationi parent, & se modestè gerunt, qui sunt sapientiæ lumine collustrati, ij nulla improba cupiditate nulla ambitione commoti, de mentis statu deijciuntur: nec unquam temeritas cum ratione, & iudicio commiscetur. At insipientium, & imperitorum mens ut ignorantia tenebris

tenebris obcæcatur, ita animus effrenata libidine incensus, turbulento, temerarioque impetu præceps, furensque ruit, obstantiaque sibi impedimenta omnia perumpit, atque disturbat. Hinc invidentia, odium, & in eos quos excellētiore, superioreque videt acris maledicentia. Talis olim fuit Palæmon ille arrogatissimus, qui secum natus fuisse literas, & secum moriturus iactabat. Qui Marcum Varro nem Romanorum doctissimum porcum appellabat: talis Alexandrinus Appion, qui immortalitate à se donari eos affirmabat, quorum nomina scriptorum suorum monumentis mandarat, cum ne diuturnitate quidem donare quenkum potuerit: illius namque scripta breui omnia interciderunt, non temporum (ut opinor) aut hominum iniuria: sed iure potius optimo. Talia enim fuisse oportuit, qualis scribentis mens, & natura fuerat: quem gravissimus author Iosephus, & veritatis studiosissimus malum, indoctumque hominem appellat, ineptum, atque importunum calumniatorem, vanum.

D

menda

mendacem, stolidum, cor asini habentem: quales Grammaticos esse omnes, fas est suspicari. Zopiros deniq; Theones, Biones, Zoiolos, & quicumq; magis uel nominis auctores calamitari, & conitibus lacerare sunt ausi; credebile est Grammaticos omnes fuisse. Nec enim in arte sua tantum insolentissime gloriantur, sed in alienas etiam possessiones temere irruentes Aristotelem, Platonem, Ciceronem, Fabium, summosq; alios viros perpetuo capiunt: impudentissimeque reprehendunt. Omnia enim cauillando, omne genus hominum mordendo, præclara aliorum facta obscurando, se magnos sperant fore, nomenque suum ab hominum oblivione, & silentio vindicatuos. Eo semper illorum dicta, & colloquia spectant, ut aliorum fides eleuetur, & authoritati pondus detrahatur: omniumque iudicia, & aures, & oculos fallere vellent, & voluntatum libertatem cogere, ut sibi fides haberetur solis, & autoritas tribueretur. Effundunt ergo virus, impurissimiq; pectoris

pectoris lethale pus euomentes, doctissimos quosque, & honestissimos viros petulanti, & effreni lingua, ac rabie insectantur. In porticibus, & gymnasiorum, vestibulis incumbantes, & puerorum constipati catervis, de nulla re alia, quam de sui ordinis hominibus sermonem institunt. Cum vera ignorantur, confinguntur falsa, quibus non modo eruditio, & ingenium, sed fama etiam, & vita absentium impetatur. Et qui formanda lingua institutores, & magistros se esse profitebantur, maledicentia, impudentia, procacitatis totiusque intemperantia auctores existunt. Nec ingenium puerorum indolem reuerentur, nec pudet in teneros animos venenum, & pestem transfundere. Cum verò authorum scripta, & obscuros locos enarrare solent, & interpretantur aliquid, longiorem moram in refutandis alienis opinionibus, quam in suis explicandis faciunt. Vbi autem professores sunt, qui eadem hora de eodem argu-

D 2 mento

mento doceant, pudendum est dicere, cerdo-
nes, lenones, latrones, humanius, & amicus
consulantur, maiorique inter se charitate de-
ninciuntur. Quis odia, rixas, turbulentaque
dissidia referat, de male scripta syllaba, de
varia verbi constructione, de coniunctio-
nis alicuius natura, quis clamores, tumultus
que audiens non exhorrescat? Si quis aliter,
atque ipsi, sentiat, aut loquatur, gladiatoris
animis descuiunt, impotenti affectu, spu-
mantique ore bacchantur, tanquam fera be-
stia irritata, hinc minae, contumeliae, & ra-
biosa conuicia nascuntur, nec raro ad calces,
fustes, colaphos, ad ferrum, & vulnera ve-
nitur. Hæc sapientiae sancta institutio est,
hæc veneranda professio, hæc prima ætatis
tenere exercitatio. Illud quoque silentio non
est prætereundum, quanto opere inepti, & in-
fulsi homines urbanitatis, ac dicacitatis fa-
mam captent, quanto studio risum mouere
auditoribus laberent, cum nihil eorum ma-
gis, quam ipsa insulas rideatur in rebus,
vel maxime serijs, & seueris nimium inde-
core

core ludunt, mille undique sales, & face-
tias quærunt, puerilesque plausus undique au-
cupantur. Ita enim sperant fore, ut omnes
ad se alliciant, & (quæ illis votorum est sum-
ma) numerum augeant auditorum. Qui er-
go in plateis, publicisque vijs suæ artis, & pro-
fessionis arrogantia ita submixi ambula-
bant, ut illo frontis supercilio literaria Resp-
niti, tanquam Atlante cælum, videretur,
ad gymnasia, & cathedras ingressi, totius
decoris, & dignitatis obliti, velut argutu-
li, & festiui sodales, scurriliter iocantur, &
lufitant, ad iocos omnes, ineptiasque prola-
psi. Nullius ordinis, aut conditionis homi-
nes tam blandi adulescentes inquam fuerunt,
nulli histriones tam scæne seruire studie-
runt. Quo fit, ut pueri natura lasciui, & ad
lusus omnes, iocosque propensi, cum sibi tan-
tum permitti, indulgerique videant, laxatis
pudoris, & verecundiae vinculis ratione
nulla presentis magistri habita, imò vero
autore, & approbatore magistro, audacius
obstrepant, obloquentur, garriant, tumul-
tuentur

tuentur. O ludibundi ludimagistri, o verè ludus, & literarum ludibrium, non seria disciplina. Nihil index in hac parte fingo, notissima narro, & compertissima. Adeat, qui volet, horum ruïnosa, & male materiata gymnasia tetro scalore, & pœdore sœcida, accedat propius ad fores, aurem admoneat, quid intus agatur, attendat: non eruditorum, studiosorumque conuentus, sed ebriosorum, furiosorumque hominum turbam, & colluuiem intus volutari existimabit. Non tantus nautarum auditur clamor, nec fluctuum tantus fremitus, & rudentum sibilus cum procellosis ventis iactata est naui: nec Cyclopi antra tanto resonare strepitu, & fragore olim memorabantur. Hæc eruditionis, & sapientiæ domicilia sunt, hæc virtutis incunabula? O præclaros iuuentutis moderatores, o tenerarum mentium institutores, ac duces, o sacrilegos potius, & rotius honestatis, pudoris, & modestiæ euersores, reliquique publicæ prodicores. Hanc cine impudentiam, hanc cine furorem, hanc cine

cine ingeniorum, morumque corruptelam, in horum disciplinam, nostros, ciuiumque nostrorum liberos, spes nostras, & pignora tradi sinemus? qui scilicet autoritate, & magisterij seueritate defluentes puorum mores deuinciant, in officioque contineant? Quo me vertam index? quem appellem publicæ libertatis, & salutis iudicem? quem queramus ante calamitatis, malorumque depulsores? Tibi informanda iuuentutis cura, tibi honestissimorum studiorum ratio, rei literariæ causa tibi tota permittitur. Si quando, de rebus maximis, & ad rerum humanarum statum maxime spectantibus iudicium sustinuisi: si quando fide, consilio & autoritate reipub. constituisi, hoc profecto tempore ea tibi summa potestas datur, ut furenti Grammaticistarum insaniæ cõprimas, inueteratosque errores extirpes: tu sublata inani, & cõmenticia arte, quæ se bonarum artium volebat esse imitatricem, veram disciplinam, solidamque eruditionem repone: præceptorum

præstigias, quibus præclara ingenia ludebantur, extermina: superstitionumque omnium fibras, radiceque altas euellere. Quo enim maiores, & ampliores fructus sapienter constituta disciplinarum studia afferunt, eo maioribus ex illarum abusu errorum, & opinionum monstris homines implicantur. Ne patiari index, pueritia, adolescentiæque annos, qui cito elapsi, non redeunt, Grammaticorum nugis, & ineptiis male perdi: ne patiari tenera ingenia optimis disciplinis aptissima, atque eorum quæ prima didicerunt, in perpetuum tenacissima, docendi prauitate, & opinionum peruersitate corrumpi, falsos, & fallaces homines à literaria repub. excludendos, ad barbarasque gentes exportandos cura: qui doctrinæ, & scientiæ simulatione ad veras disciplinas aditum intercluserunt: qui linguarum cognitionem, facundiam, poeticam, historiam, præstantissimarumque rerum scientiam funditus euerterant: cumque per totam vitam nihil præter nescire didice-

didicerint, de doctrina sua insolentissime gloriantur: renascentibusque iam passim bonis litteris, soli ignorantia arcem tuentur. Horum superstitionibus liberata bona ingenia, tuoque patrocinio, index prudenterissime, recreata, perpetuo se tibi debent: per teque redditæ, & sibi restitutæ literæ, nomen illustrabunt tuum, consecrabuntque hominum memoriæ sempiternæ.

D 5

FRAN-



VNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

GREDO.SUALES



FRANCISCI
Martinijs Lusitani de
Grammatica Professione
Declamatio.

PROGRAMMATICIS.



ST ea nostrorum tempo-
rum, atque hominum philo-
sophia, iudex incorruptissi-
me, ut noua perpetuo mo-
lientes, cum præclarum ni-
hil inuenire queant, veterum inuenta subuer-
tere, ac disturbare conentur: per quæ alio-
rum ruinam sperent, se caput è terra al-
tius elaturos. Quæ improbitas, & amen-
tia ita late serpere, ac se diffundere nu-
per cœpit, ut iam passim noui, & argutu-
li oratores proueniant, qui contradicen-
di cupiditate euecti, maximorum autho-
rum monumenta delere, antiquitatem op-
primere

Pro Grammaticis. 30

primere, clarissimarumque artium digni-
tatem imminuere, & obscurare conten-
dant: nihil denique tam firmum exeat, tan-
taque auctoritate munitum, tamque omniū
gentium, & seculorum iudicio comproba-
tum, quod temerarij homines opinionum
peruersitate, malitiosisque calumnijs non
labefacture, & conuellere adoriantur. At
que adeo quidam verecundia finis transse-
runt, ut affirmare aperte, ac palam præ-
dicare non dubitent, se solos in rerum na-
turam mentis aciem intendisse, & in ve-
ritate inuestiganda, eò progressos inge-
nio fuisse, quo nec veterum, nec recen-
tiorum quisquam penetrare antea va-
luisse, & qui summorum hominum
auctoritatem omnem repudiandam puta-
uerunt, neminemque omnino post ho-
minum memoriam, quem sectari, & imi-
tari possent, idoneum reppererunt, ipsi se
tandem volunt optimarum rerum inuentor-
es, certissimosque authores nobis sequen-
dos, & imitandos proponere. Horum
petu-

petulantia nisi iudex prudentissime franos
 inieceris, furentemque audaciam iudicii se-
 ueritate compresseris, periculum est, ne vi-
 res adulta hæc pestis colligat: & quæ modo
 Grammaticorum ocium, primamque litera-
 rum institutionem perturbat, ad corrup-
 pendas etiam disciplinas alias quasi quadam
 contagione permanet. Quantas enim turbas
 commouere nouitas omnis soleat, quantasque
 semper pariat calamitates, utinam non tot
 esset quotidie experimentis cognitum, nec
 tam multa forent rebus pub. detrimenta per
 homines nouarum rerum cupidos importa-
 ta. Sed videamus iam quid his nebulonibus,
 & importunis cauillatoribus in mentem ve-
 nerit, ut Grammaticam artem tanquam
 commentitiam, & inanem calumniaretur,
 præceptaque recte loquendi omnia de medio
 tollenda esse existimarent. Ingrati profecto
 homines, ac pene impij, qui communi altrici,
 studiosorumque omnium institutrici gratiam
 tam male referant: à qua enim dicendi fa-
 cultatem qualemcunq; habent, acceperunt,
 ad huius

ad huius ipsius perniciem, & exitium to-
 tam conuertunt. Illudque est, in primis in hoc
 genere hominum detestandum, quod officij
 simulatione, & e mentis ueritatis specie
 rudioribus, & simplicioribus imponunt, fa-
 cilemque, & expeditam Latinæ linguæ insti-
 tutionem reiectis præceptorum molestijs
 pollicendo, signaros adolescentes, à ueris di-
 sciplinarum studijs auocant, opinionibusque
 vanissimis imbuunt. Ut enim ambitiosi ho-
 mines, & qui populares haberi volunt, re-
 rum pub. statum omnem peruertunt, imperi-
 tamque plebem, & immodica libertatis au-
 dam ad iuris & legum repagula perfringē-
 da sollicitant, in erroresque turbulentos, ac pe-
 stilentos inducunt: sic leuiter eruditi quidam
 ingenij famam captant, & singulare
 doctrinam, ostentare cupiunt, veterem in-
 stituendi rationem tollunt, loquendi artem,
 formulasque rescindunt, præceptorumque om-
 nium moliuntur abolitionem. Vetus hoc est
 & veteratorum leuissimorum hominum
 artificium, non tam sincere ac libere de re-
 bus

bus statuendum, quam pueriles plausus, inaneque gloriam aucupantium. Atque (ut in eodem simili verser) quemadmodum illi, qui in vulgus probari, & commedari student, ad popularem gratiam inuendam omnia vitæ consilia referunt, populiq; ingenium, & mores inspiciunt, viasq; omnes, adieusq; perlustrant, quibus se possint multitudini infinuare: sic nebulones isti, cum nihil apud pueros plausibilis futurum, cognoscere, quam si molestissimis præceptis, ediscendæque artis Grammaticæ labore leuarentur, præcepta omnia submouerunt. In eamque opinionem paulatim res est adducta, ut iam plerique ad tractandam, perdiscendamque artem effecti sint tardiores, facile enim adolescentulis, & propter ætatis, & iudicii imbecillitatem, quæ sunt facilia, & suauia persuadentur: estque hoc fere natura comparatum, ut omnes vera esse credant, quæ vera esse concupierunt. Aliam quoque non paruum euertende artis Grammaticæ occasionem nacti sunt vanissimi impostores.

Audie-

Audiebant sæpe numero doctissimos viros conqueri, corruptam esse Grammaticam disciplinam, præcepta multis superstitionibus innoluta in immensum excreuisse, ludi magistros totam artem nugis, & ineptiis referuisse, & à recte loquendi studio, ad ineptas subtilitates, & quæstiunculas traduxisse. Hac ergo occasione arrepta, Grammaticos male iam audientes, in maius odium vocauerunt, turpioribusq; infamia maculis asperserunt. Affirmare namque, & acriter inclamare cœpere, puerorum ingenia præceptis obrundi, memoriam præceptis obrui, præceptis impediri, & obstringi linguam, optimum vitæ tempus præceptorum deliramentis insumi, frustra que teneros annos, totasque sæpe ætates in Grammaticis præceptis conteri. Hac itaque literarum tanta calamitate, & ingeniorum corruptela offensi, strenui verum moderatores, Latine linguæ institutio-nem optimarumque artium instaurationem suscipere se velle, dixerunt. Laudanda

prof. Et

profecto vigilantia, præclariq; conatus hominum communibus studijs, & restituentis bonis literis insudantium. Sed audiamus tandem remedium, quod tam salutare novi magistri perturbatæ disciplinæ afferant, ut Latinam linguam hæcenus, obscuratam, totq; sepultam tenebris, in lucem, pristinaque dignitatem reuocent, nobisq; tersam, vitijsq; omnibus expurgatam nitidamque proponant. Præcepta non illa solum, infrugifera, & vana, sed vtilissima etiam & ad linguæ cognitionem maximè conducentia, cuncta repudiant: Grammaticamq; vanitatis nomine damnatam, eijciunt, excludunt, exterminant. Hoc sapientum hominum iudicium est, hoc nouum instituendæ iuuentutis inuentum. Quod perinde est, ac si quis agricola propter noxias herbas, & improbum aliquod semen inspersum, euellere, vel exurere segetem totam veller. Sunt quidē multa in Grammaticis redundantia, multa superuacanea, sed non protinus Grammatica funditus tollenda, & extirpanda est: reijcian-

reijciantur sanè, quæ inutilia sunt, & ab indoctis hominibus, sineque artium parum acutè inspicientibus inducta: reliqua perpergentur, & in artem commodissime redigantur: quemadmodum in vitibus luxuriantia sarmenta, seque nimium profundentia, amputantur, non tamen à stirpe vitis ipsa excinditur. Quod inuictam in bonas literas superstitionem, & Grammatistarum insanias deriserint, rectè id quidem, sed qui inueteratos errores sustulerant, quam tandem nobis reponunt erudiendæ iuuentutis institutionem? Vsum, & loquendi assiduam consuetudinem satis, superque esse dicunt, ad Latini sermonis intelligentiam, & loquendi etiā copiam comparandam: nec secus Latinam linguam, atque Hispanicam, Gallicam, & Italicam sine præceptis cognosci, ac percipi posse contendunt. In eoq; argumento à linguarum similitudine ducto mirificè sibi placeat: idq; suæ opinionis validissimum esse firmamentum putant, cum longè sit diuersa Latina, & vernacula linguæ ratio. Vernaculas

culas enim linguas à parentibus, nutricibus,
à domesticis, à propinquis accipimus, &
cum ipso simul nutricis lacte imbibimus: co-
piofius deinde à populo communi loquendi
magistro perdiscimus, at nostris tempori-
bus cum Latine loquentem nationem nul-
lam, civitatem nullam habeamus, unde hūc
pereipere fructum possimus, qua ratione no-
bis Latinam linguam ex vsu comparabi-
mus, quæ multis ab hinc seculis in vsu esse
est desita. Libri (inquiunt) Latinorumque
autorum scripta instar populorum, & ho-
minum nobis erunt, in libris veram Latini
sermonis imaginem expressam tenemus: hos
legamus, assidue in hos intueamur, ad horū
imitationem nos perpetuo componamus: ij
linguæ peritiam, elegantiam, copiam abun-
dè suppeditabunt. Sit ita sane, nec enim ego
tant opere, ab hac authorum imitatione ab-
horreo: sed quæro cum ex autoribus nihil se
memoriæ offerret, quod sit ei, quod eloqui
conamur, simile, quod sapissimè inter loquē-
dum, accidere necesse est, erit ne honestius
hesi-

vide in hac
declamæ
fol. 55. b.
ubi mari-
me commen-
dat librorū
lectionem affi-
duam. vide fol. 56. b. in oratione

hesitare, & interdum etiam obmutescere,
an ad aliquam artis, & præceptorum opem
confugere? nec enim omnia nobis esse lecta
possunt, & quæ leguntur, elabuntur facile,
nec occurrut animo, cum maximè est opus,
vel ea, quæ sunt memoriæ labore maximo
commendata. Præterea libenter hos Gram-
matica contemptores, qui ex libris omnia
erudienda esse censent, interrogarem: verū
ipsi in authoribus legendis, & imitandis, di-
cendi rationem aliquam, verborumque col-
locationem spectent, an nullam omnino, nec
variandarum, nec vtendarum dictionum
proprietaem obseruent? si nihil animaduer-
tunt, nihil notant, nullam deniq; simplicium,
aut coniunctarum partium vim, & natu-
ram in authorum lectione expèdunt, & pe-
rissimi tamen rectè loquendi euadunt, abij-
ciamus præcepta omnia, tanquam superua-
cana. Sin autem ex authorum vsu formu-
las sibi quasdam, normasq; loquendi, quas ip-
si sequantur, colligunt, inique certe faciunt,
qui præcepta in artem redacta, commo-
dis-

disiuncteque digesta damnent, eadem dissoluta, & dissipata probent. An non multo commodius, & facilius est apertissimis, ac diligentissimis hominibus animaduversa, notata, atque illustrata generatim omnia cognoscere, quam longo, & infelici labore particulatim singula consuetari? Nomen excogitandarum, instituendarumque artium omnium communis hæc fuit ratio, ut quæ varia, & multiplicia, incertaque in rerum natura erant, nec unius hominis ingenio, & opera percipi, & comprehendere poterant, ea multorum industria, longaque experientia intelligi, qualia essent, præceptisque, & arte concludi possent? In medicina enim singulorum morborum, medicamentorumque genera longo tempore observata, paulatim intellecta, explicataque fuerunt. In Astrologia ortus, obitus, motusque siderum: in Geometria lineæ, magnitudines, intervalla, in Rhetoricis apte, ornateque dicendi, & pronuntiandi rationes: omnes denique rerum omnium proprietates, & naturæ à callidis, & sedulis hominibus

nibus notata, & in breues, & circumscriptas formulas collata, artem efficere potuerunt. Cur ergo non hoc idem facere, etiam Grammaticus licuit? qui purè, & incorruptè loquentes observarunt authoresque varios evoluerunt, loquendi que genera carpentes, & colligentes undique, artem Grammaticam composuerunt: quæ loquendi usus dispersum, & late patentem, ratione quadam constringeret, & ad certa genera, paucitatemque reuocaret? Ars itaque ex probatissimis authoribus diuturna observatione collecta, rectissimeque descripta, certa est loquendi regula, ad quam dirigendus, ac moderandus orationis est cursus: magistra, duxque est optima, quæ à recta loquendi via aberrare nunquam sinit, cuius ope adiuti dicendi studiosi, quæ tam multis authorum literis, & voluminibus sunt diffusa, quodammodo comprehensa tenent, nec memoria unquam defici, nec sermonis copia destitui ullo modo possunt. Quamvis enim in Latinis literis magnos aliquis progressus habeat, quamvis



scriptorum genus omne legēdo contriuerit, cum tamen ex tempore aliquid loqui Latine uolet, errabit sæpè, & tanquam in mari magno fluctuabit, nisi infixæ animo præcepta quasi quædā signa, in quæ intueatur, quæque sequatur, habeat. Ut enim orbis terræ situm, extremaque maris litora certius, ac liquidius cognoscunt, qui in tabellis fideliter, & luculenter depictum conspiciunt, quam qui pedibus regiones singulas peragrarunt, ita qui præcepta uerè, summamque digesta, quasiq; exposita ante oculos habent, certiorē in dicendo tenere cursum possunt, quam qui per varia autorum scripta liberè, & solute vagantur.

Quod si ueteranis hominibus, & qui penè totum Latini sermonis usum percalluerunt, sæpè ars esse adiumento solet: quid tyronibus inexpertis, rerumq; omnium ignavis censebimus? Nulla ne his etiam præcepta dabimus? nullam artem adhibebimus? quæ cæcis lumen præferat, & ad linguæ cognitionem aliquem monstrat aditum, quasi

quæ fores ad musarum sacraria patefaciat. Sunt profecto adminicula quædam præcepta, ad quæ pueri adhærescant, quibusque erecti, atque subnixi, loqui incipere fidenter audeant, nec labantur. Hæc sunt uerè Latine linguæ incunabula, hæc prima quasi nutrimenta, quibus tenera alantur ingenia, atque educuntur, donec paulatim adoleſcant, & firmiore doctrinæ pabulo sustententur, ad maioremque dicendi copiam, & eloquentiæ laudem contendant. At multi (inquit aliquis) arte instructissimi, præceptisque abundantissimi, tantum abest, ut ad illam loquendi facultatem, quam Grammatica pollicetur, perueniant, ut præceptis potius, quasi uinculis quibusdam implicati, & constricti teneantur, magisque obmutescendi, quam rectè loquendi artem didicisse videantur. Hoc ego non inficior, accidere solere non raro, sed hæc in hominibus est tota, non in præceptis culpa, quinuda artis cognitione, & commentatione contenti in explicandis, diutaxat concinnantur.

disque præceptis Grammaticam positam esse putant, styli formandi rationem, loquendi exercitationem, usum denique artis non norunt. Laboriosa enim, & quæ magnam ingenij vim, & animi contentionem desiderant plerique defugiunt: quæ facilia sunt, & ubique obuia, consecretantur: & ne nulla in re excellere existimentur, difficillimas, & parum necessarias de re Grammatica tractationes excogitant, coacerustorumq; præceptorum infinita volumina moliuntur, dicendi autem studium, quod longè est maximum, & pulcherrimum deferunt. Vere ac sapienter Cicero in omni dicendi doctrina demonstrationem, præceptionemque totam facilem & vulgarem esse, usum autè grauiissimum, ac difficillimum confirmauit. Præcepta ergo cum per se vanissima, & abiectissima sint, eadem tamen ad dicendum apta, & accommodata, si accedat exercitatio, plurimum afferunt adiumenti: dicendique rudes veluti manu ducunt: viamque ad purè & emendatè loquendum muniunt.

Offere-

3. de Orati.

Offerebat hic se mihi occasio nimium curiosis quibusdam hominibus respondendi, qui in controuersiam vocant, vtrum Grammatica in aliquo artium genere sit ponenda, an loquendi ars sit omnino nulla. Sed inutiles quæstiunculas tractandi, nec locus est, nec voluntas. Verba tamen Ciceroniani Crassi subiiciam, quibus facile ociosis his disputatoribus satisfieri posse existimo. Si ex rebus penitus perspectis, & nunquam fallentibus, atque ab opinionis arbitrio seiuuētis, scientiaque comprehensis ars definitur, non mihi videtur dicendi esse ars vlla. Sin autem ea, quæ obseruata sunt in usu, ac ratione dicendi, hæc ab hominibus callidis, ac peritis animaduersa, ac notata, verbis designata, generibus illustrata, partibus distributa sunt, (id quod fieri potuisse constat) non intelligo, quæ obrem non, si minus illa subtili definitione, at hac vulgari opinione ars esse videatur. Sed siue est ars, siue artis quedam similitudo, non est quidem ea negligenda, verum intelligendum est, alia quedam ad consequendam

E 5

dam

dam eloquentiam esse maiora. Hactenus Cicero de arte dicendi quid sentiret exposuit: quod idem de Grammatica, quæ loquendi doctrina est, aptissimè dici potest. Quantum autem in hac puerili institutione utilitatis insit, omnium gentium, & sæculorum consensus, experientiaque declarat. Postquam enim Romana lingua infusa barbararum gentium peregrinitate contaminata est, pristinumque splendorem, & claritatem amisit, nullis alijs, quam artis opibus, præceptorumque præsidio sermonis Latini reliquias eruditissimi homines per tot sæcula conseruauerunt, senescentemque, & labentem linguam penè ab interitu vindicarunt. Per totum namque terrarum orbem, ubicunque doctrinae & eloquentiae studia viguerunt, maxima semper, & honestissima præmia Grammaticæ artis doctoribus sunt proposita. Quid? quod veteres etiam Romani, quibus eadem vernacula, & Latina lingua erat, quo tempore loquendi facultas omnis à populo

pulo peti poterat, declinandorum etiam nominum, & verborum rationes, præceptaque loquendi alia habuerunt, Grammaticamque artem ad puritatem sermonis & integritatem retinendam, summo studio coluerunt. Usque adeo ut eloquentissimi viri, & ciuitatis facili principes quam plurima de Grammatica arte conscriberent. Nam Iulius Cæsar Dictator, & Cornelius Messala de singulis literis singulos libros ediderunt. M. Varro qui Romanorum habitus est doctissimus, de lingua Latina, deque analogia copiosissimè, & accuratissimè scripsit. Quid memorem quot viri ingenio doctrinaque præstantes Romana olim fuere, qui præmijs ingentibus inuitati, summisque honoribus affecti, ad inuentutem Grammaticis præceptis institutam, flagranti studio incubuerunt. Constat enim post Lælium Stilonem, qui Sylla Dictatore, discipulorum magna celebritate floruit, supra viginti celebres Grammaticorum scholas in urbe fuisse: pretiaque maxima & ho-

& honestissima Grammaticis professori-
 bus constituta. Postq; ea tempora Asinius
 Pollio, Valerius Cato, Valerius Flaccus,
 M. Valerius, Iginus, Pomponius Marcel-
 lus, innumerabileque alij summam laudem,
 & dignitatem ex Grammatica profesio-
 ne consequuti fuerunt. Apud Græcos quo-
 que ubi nata, & alta eloquentia est, diligen-
 ter culta disciplina hæc fuit. Honores am-
 plissimos Amphictyones (quod erat publi-
 cum totius Græciæ concilium). Apollodoro
 Grammatico (ut refert Plinius) decreue-
 runt: fuit & magni nominis Aristarchus,
 fuit Apollonius, Sophocles, Aristophanes,
 Homerus, Eustatius, Triphon, Gaza, Chæ-
 roboscus, Arsenius, quorum nomina & il-
 lustria fuerunt, & sempiterna hominum
 memoria celebrata. Nec summi olim philo-
 sophi Grammaticas tractationes, scriptio-
 nesque contempserunt. Plato enim Gram-
 matica quedam obseruasse, Epicurus artem
 etiam composuisse dicitur. Nec à Græcis
 tantum disciplina hæc ortum habuit, sed
 multò

multò illius antiquior inuentor Aegyptius
 ille Mercurius, qui Trismegistus est appella-
 tus, extitisse memoratur. Summi itaque vi-
 ri summis ingenijs maximarumque rerum
 scientia exculiti, authores, & amplificato-
 res Grammaticæ artis fuerunt. Omnibusq;
 sæculis maxima est semper authoritas Græ-
 maticis attributa. Hisque de scriptoribus
 cuiuscunq; generis iudicium est permissum,
 authorumque omnium libros soli probare,
 vel improbare poterant: unde & Critici,
 tanquam iudices, & censores nominaban-
 tur. Quo factum est, ut Grammatici nomē
 honestissimum & amplissimum haberetur:
 philosophique innumeri Grammaticam, &
 Grammatici philosophiam illustrarent. Phi-
 loponus Grammaticus eruditos edidit in
 Aristotelem commentarios, Aristocles, &
 Aristæus Rodij, Didimus, & Antigonus
 Alexandrini, Xenocritus Hippocratis ci-
 uis Grammatici fuerunt omnes, doctos ta-
 men & accuratos libros in Hippocratem
 conscripserunt. Nec ij solum, sed celebres
 etiam

etiam philosophi, & summi philosophorum principes cum studijs sapientie rectè loquendi studium copularunt, ut Aristoteles ipse, ut Plato, Socrates Thrasmachus, Anaxagoras, Protagoras, Gorgias, Archifilas, Carneades, Chysias, Xenophon, Isocrates Cicero. Omnes enim in literis nati, atque educati ardentesque studio fuerunt: at nostro saeculo multi, & patrum nostrorum memoria multò plures ingenio tardi, atque ocio diffuentes, fieri nullo modo posse existimarunt, ut qui dicendi studio sese dederet, idem in magnarum artium disciplinis clarus unquam foret. Ac tum demum altissimarum rerum scientia excellentissimos se visum iri sperarunt, cum dicendi imperitissimi viderentur: sublimium quoque, & arcanarum rerum tractationes, subtileque disputationes culto, & eleganti sermone explicari, non posse, conati sunt persuadere. Quidquid sic diceretur, Grammaticam esse, quidquid suo more horridè, fœdè, ac barbarè,

barè, illud unum esse ex præcellentibus, & altissimis disciplinis. Nec solum linguarum cultum, & cognitionem, sed utilissimarum etiam rerum scientiam, quamcumque ipsi non didicerant, Grammaticam appellarunt, antiquitatis notitiam, historiam, regionum, situs, & intervalla, Geometriam, Poeticam Rhetoricam, Astrologiam præclaramque omnem eruditionem Grammaticæ nomine damnatam, repudiarunt. Profecto nimio nostri studio peccamus, quæ possidemus ipsi, ampla, & honesta haberi volumus, ea, quibuscaremus, vilia, & aspernanda. Si vel mediocrem aliquam dicendi facultatem idiota homines consecuti fuissent, cum non dubiè in dicendo, & scribendo adhibuissent, & publicè, quantum possent, ostentassent. Nec enim tam pravè quisquā de rebus unquā sensit, ut Latine dicèdi, & cogitatus suos rectissimè explicàdi copiam non semper magno æstimandam putaverit. Nec in tam malo statu res est, ut horum demerentiam reniuiscentes iam pridem bonæ literæ



tera non coarguerint. Non defuere etiam, qui linguas tantopere damnarent, tantoque odio haberēt, ut de eloquentiæ studiosis male sentirent, iisque, nescio, quam impietatis etiam notam inurerent, dicendiq; studium religioni semper aduersatum fuisse stultē, & impudenter nimium affirmarent. Quo satis declararunt, se in rerum Christianarū annalibus parum esse versatos, atq; omnis historia, totiusque ingenuæ eruditionis ignorantissimos. Nam si Ecclesiæ nascentis iuitia, progressus, & incrementa memoria repetamus, religionem nostram per homines eloquentissimos, ab impiorum fraudibus, & calumnijs defensam, & propagatam fuisse comperiemus. Dionysius namque Pauli discipulus excellenti eloquentia Christianorū res auxit, atq; exornauit. Quadratus Apostolorum auditor librum eleganter scriptū Adriano Imperatori obtulit, quo ingruentem in Christianos cladem, & seuitiam repressit, atque sedauit. Origenis præceptor Clemens, quo tempore impij Christianis negotium

gotium maximè facescebant, laborantem, & labantem Ecclesiam dicendi felicitate, & copia restituit, ac sustentauit. Iustinus philosophus, pietate illustris eloquentia quoque laude excelluit. Aristides summus orator religionis causam eloquentissimè, sapientissimeque defendit, magnus Athanasius impium, & consceleratum Arij dogma præclara orationis copia, & vbertate redarguit. Diuus Basilus, & Gregorius Nazianzenus easdem impietates admiranda dicendi facultate instructi facillimè compresserunt: amentissimique Iuliani furorē, audaciamque fregerunt. Quid referam Arnobios, Tertulianos, Lactantios, Cyprianos, Fulgentios, Hilarios, Seueros, Origenes, Chrysostomos, Gregorios, Hieronymos, Ambrosios, Augustinos, atq; alios, quorum inui numerus non potest, Christianæ reipub. lumina fulgentissima. Quos omnes, si eloquentia impietatis materiam subministrasset, quanto Ario, & Nestore eloquentiores fuerunt, tanto magis fuisse impios

F

pios

pios oportebat. Quid vobis (mau) amicissimi homines in mentem venit, ut linguarum peritiam, & facundiam religioni esse aduersariam crederetis? An potest ignorantia, & imperitia aliqua vere religioni esse utilis? Contra potius ut quisque rerum omnium peritissimus est, ita esse solet Christianissimus. Quanto credibilius erat, si multis errorum, & impietatum ansam praeuissse linguarum imperitiam dixissetis. Nonne D. Hieronymus Rufinum, & Iovinianum merito insectatur, quod ex sermonis ignorantia lapsi fuerint, & in errores pestilentes, & nefarias opinionones indueli. Quod si linguarum cognitio, & elegancia propterea istis suspecta, & inuisa est, quod quidam aliquando impij sermonis artificio, & copia, ad suas sectas tuendas, & defendendas sunt abusi: cur non Dialectica quoque rejicitur, & ab omnibus Christiani orbis finibus exterminatur? Huius enim rationibus, & argumentationibus, multo magis quam linguis, in confirmandis suis erroribus Haeretici sunt adiuti. Quasi sit quid-

quidquam tam utile, & salutare nobis a natura donatum, quod improbi homines a recta ratione aberrantes, remerari quoque impetu vitae officia peruerterentes, non sepe soleant, ad suam perniciem, exitiumque conuertere. Reliquum est, ut stultè arrogantibus Grammaticis quibusdam magistris respondeamus, qui suam ipsi professionem despiciunt: Queruntur enim fortuna iniquitate, & verum aduersarum procellis in insimum hunc licitorum ordinem se esse coniectos, quasi in pistrinum detrusos, molestissimeque ferunt Grammaticos se vocari. O vanissimi homines, ex ambitione rotati, ex arrogantia, fraude, mendacioque compositi: si tam excelsa mente praediti, tantisque ingenij opibus instructi estis, si tam admirabili, exquisitaque doctrina, tanta rerum scientia, varietate, & copia reductus, cur ad infimam & vilem, ut censeo, artem sublimis, & praestantia ingenia demissistis? cur supremam licitorum dignitatem gradum non expectistis, sed quid agitis, licet adhuc, tenes hys

curas abijcere: licet, ad literaria illa munera, quæ maxima sunt, & amplissima, aspirare. Agite, recondita eruditionis divitias, & variam supellectilem explicare, propalare collocare. Quid inuat in sentina esse, quibus esse locus in puppi potest? A vobis ego tamen viri maximi, & præstantissimi, quæso dum gravè hoc onus, atque indignum sustinetis, dum vos ipsos ad maiora alia reservatis, ne munus, licet exiguum, ac leve, reipub. tamen fructuosum tam gravate, & fastidiosè tractetis. An potest quisquam illud sedulo, ac pro dignitate administrare, quod sibi parum esse honestum, ac decorum putat? Exiit ne aliquis unquam opifex, qui precio, & estimatione dignum quidquid efficeret, nisi summo studio, totaque mente in suum opus incumberet, sui que laboris summationem sibi fore laudi duceret? Periti certe architecti, construenda ædificij mole, totaque opere perficiendo incredibiliter oblectantur. Pictores cum imagines luculenter expriment, summa affectu satiria, pingendi studio

diorecreantur. Quid poeta? verbis explicari non potest quæ assidue in condendis versibus intenti sunt, quamque iucundè sua poemata pangant, ingenijque sui quasi parum ament. Agricola quoque rerum rusticarum studio mirifice capiuntur: & arandi, ferendi, metendi labores cum summa voluptate, & animorum alacritate perferunt. Omnes denique opifices, cum honestum aliquod, & utile opus sibi efficiendum proponant, honestatis pulchritudine illa, & utilitatis specie animis obiecta, ad actiones suscipiendas acriter incitantur. Consequitur deinde actionem voluptas, cum præsertim artifex scienter, & rectè in opere exercendo versatur. Quid ergo causæ esse dicemus, quod Grammaticos ludimagistros, tam vehementer sue professionis præniteat, ut nullam sui laboris sperent laudem, nullam percipiant voluptatem? an quod nihil magnum, & magnopere experendam Grammatica arte contineatur? an quod suum ipsi munus parum perire, & commodè admini-

22
 strent? si vel negligentia, vel imperitia, vel
 ingenij caritate infeliciter in hac arte ver-
 santur nihilque laude dignum efficiunt, ip-
 si viderint. Nam quod quidam distitunt,
 exiguum esse, angustisque finibus circun-
 scriptum Grammatica possessionem, nec
 satis latum sibi pascere campum, ad ingenium
 ostendendum, materiamque laudis queren-
 dam, vehementer errant. Est enim ampla,
 & vberissima Grammatica professionis re-
 gio, & in qua possint fecundissima iuge-
 ria summa cum laude, ac diutissime exer-
 ceri. Mitto, quod magni nominis autho-
 res, sapientissimique homines testantur.
 Grammaticum professorem perfectum, nu-
 merisque omnibus absolutum, a quo au-
 thorum libri legendi, ac peruolandi sunt
 omnes, omni doctrina genere cumulatam
 esse oportere. Non tam multa desidero, non
 peto, ut disciplinarum orbem illum, quem
 Graeci Encyclopediam vocant, confi-
 ciat. Nec illud requiro, quod tamen ad
 Grammaticum munus non parum pertine-
 bat,

bat, ut styli sublimitate inueniendique, &
 disponendi solertia veterum eloquentiam
 imitando effingat, atque exprimat. Non
 peto, ut in utramque partem ornate, & sa-
 pienter disputando, Dialecticorum vim,
 Oratorumque ornamenta adhibeat, non ut
 extemporalem orationis dexteritatem, &
 copiam consequatur, omnibusque ample,
 magnifice, varieque dicendi virtutibus au-
 tecellat. Circuncidamus hinc, & ampute-
 mus quantum licet, & plus etiam, quam
 quod licet, relinquamus solum Gramma-
 tici lingua intelligentiam, historiarum, sa-
 bularum: totiusque antiquitatis notitiam,
 authorum interpretationem, fluviorum,
 montium, oppidorum, terrae denique, ac
 maris, rerumque memorabilium cogniti-
 onem: nec desit verborum delectus elegans,
 soluti numerisque astricti sermonis peritia,
 erudita, prudensque oratio, ex multiplici re-
 rum scientia, varietate, & copia efflorescens.
 Haec tot, ac tanta non ut aliena libasse, sed
 ut propria possedisse, omniaque in prom-

ptu, atq; in numerato habere, nonne magni operis, & ingenij munus erit existimandum? Hæc si Grammatici præstare possunt, cur professionem suam velut tenuem, inopemque contemnunt? si non possunt, cur imbecillitatis, & imperitiæ suæ culpam in vberissimam, & amplissimam artem conferunt? Si vero Grammaticam non eo nomine despicendam putant, quod parum ingeniuam, parumque dignam cognitione credant, sed quod docendi laborem parum sibi honestum, ac decorum esse arbitrentur, illos ego non imperitos solum, & malè sentientes, non segnes, & ignauos, sed inhumanos, immanes, ac penè impios appellauerim.

¶ Primum enim, in quo veræ laudis, & dignitatis ratio consistat, non vident: ab omni que omnino officio, & humanitate abhorrent. Nam si satis constat, vni esse virtuti laudem, & gloriam tribuendam, easque maximas esse virtutes sapientes omnes statuerunt, quæ ad communem utilitatem, societatemque vitæ adiuvandam pertinent: qualis

qualis est in rebus bellicis animi magnitudo, qualis eloquentia, iustitiæ liberalitas, non possunt, qui ingenij, doctrinæque opes ad iuventutem optimis disciplinis instituendam conferunt, non in maximo honore haberi, iustissimæque omnium laude cumulari. Ac ceteri quidem, qui magno, & elato animo res magnas aggrediuntur, nullum patriæ laborem, nullum periculum denegantes, qui iustitiæ laude florentes legum metu, & iudiciorum severitate homines denunciant, qui facultatibus, & opibus affluentibus amplissimis beneficijs obligarunt, & locupletarunt quæ plurimos, licet incredibili hominum charitate, & studio afficiantur, plenoque quasi ore laudentur: non tamen hominum generi tam salutares iudicandi sunt, quam qui rectissimis institutis, & moribus suos ciues erudiunt, & vitæ sapienter, & moderatè degende viam, & rationem docent. Illorum enim conatus omnes ad corporum tutelam magis, quam ad animorum præsidium referuntur: horum industria, vigilantiaque cõ-

ſpectat tota, ut animi integri, ac puri vi-
geant, mentesque ſaluberrimis præceptis in-
ſtructæ, ad naturæ ſuæ cognitionem, ad ve-
ritatis, & virtutis ſtudia dirigantur. Qu-
antoque corporibus nobiliores ſunt ani-
mi, ac digniores, tanto ſunt bellatoribus, mi-
niſciſque largitoribus inſtituendorum, re-
gendorumque animorum magiſtri, & ſa-
pientes doctores auteponendi. Eo ipſis autē
ſapientibus nulli fortæſſe de hominum ſocia-
tate merentur melius, quam qui, rudes pue-
rorum animos, & moribus, & honeſtiſſi-
mis literarum diſciplinis informant. Hi
prima virtutis incunabula permittuntur, bi
vacuas puerorum mentes quibus volunt,
opinionibus imbuiunt: imbecillaque ingenia
moderantur: hi patriæ ciues fructuoſos
alunt, ſirmiſſimaque reipublicæ fundamen-
ta iaciunt. Atque ut imperatores illi, qui
aduentantis hoſtis inſidias, impetumque de-
pellunt, impendenciæque mala, periculaque
propulſant, maiori ſunt laude dignandi, quā
qui illata iam damna reſtituunt, inſſictaque

vulnera

vulnera ſanare ſtudent: ſic inſtitutores, &
magiſtri animorum primi, qui puerilem in-
dolem, antequam vitioſum contagione, ali-
qua contaminetur, ſanctis moribus, & ſtu-
dijs, & recta inſtitutione prauiniunt, lon-
gè maiora beneficia vitæ humanæ conſerunt
quam, qui inueterata, corroborataque iam
vicia, corrigere, & emendare conantur.
Præſentim, cui raro accidat, ut euellantur,
& extirpetur ea, quæ ſemel iuuenilibus ani-
mis inhaſerunt. Facili cultura plantæ adhuc
teneræ ſecti ſolent, & in quamcunq; velis
partem deduci, at quæ proceræ iam ſunt ar-
bores, & ſuo ſe robore firmarūt, nec in aliā
faciem verti, nec aliō torqueri vlla curatio
ne poſſunt. Non aliter pueri, ad ſatus doctri-
næ accipiendos, aptiſſimi, ad virtutem om-
nem facile effinguntur: at poſtquam obdu-
ruerunt, ſi forte vitioſitate aliqua prauis, ac
diſtorſi euaserint, nulla poſſunt diligentia
excoli, nullo cultu moliri, nullis erigi ad
miniculis. Vnde colligi fortæſſe poteſt, ſer-
pè legum imperia grauiſſima, ciuitatum de-
ſtructa

1777

stiruta sanctissima, prouida magistratuum,
 prudentumque hominum consilia non tan-
 tum ad vitam rectè constituendam valere,
 quantum primam illam institutionem à sa-
 pientibus, & moderatis magistris adhibeā,
 primaque illa monita, & praecepta teneri
 iusta, & impressa mētibus. Imperium Per-
 fas è paruis admodum initijs ad summā am-
 plitudinem perduxisse, ea potissimum cau-
 sascribit Xenophon, quod egregie constitu-
 ta apud eos esset morum puerilium disciplina.
 Omniaque praeclare fundata, & latè pro-
 pagata imperia, regna omnia florentissima
 (si quis attente inuestigare velit) diligenti
 puerorum institutione nixa fuisse compe-
 rit. Verissimeque ait Plato, totius ciuitatis
 constitutionem puerili educatione contine-
 ri: eaque sublata, quasi subductis columnis
 Reipub. cēta, & firmamenta omnia ruitu-
 ra. Atque hac olim causa prudentissimos
 legum latrores mouit, ut pueros non ocio, ac
 desidia torpere parerentur: sed disciplina
 aliqua exerceri statim ab inueniente aetate co-
 gerent.

gerent. Erat Lycurgi legibus apud Lacedae-
 monios cautum, ne parentes liberos, quibus
 vellent moribus educarent: sed annos iam
 septem natos eruditis, ac probis moderato-
 ribus in disciplinam traderent, à quibus ad
 victus frugalitatem, ad laborum patientiā,
 ad decoris, & honestatis studium informā-
 rentur. Compulit Athenienses Solon, ut
 Palaestra, literis, & musica filios assuesce-
 rent, ne ignauia languere, & ocio corrup-
 pi possent. Quam enim sui expectationem
 concitare possunt nobiles, & opulenti ado-
 lescentes, opibus abundantes, laetè, & mol-
 liter educati, luxuque diffuentes, nisi lite-
 rarum, aut armorum, aut honesto aliquo stu-
 dio exerceantur? Animi, & ingenij virēs
 ignauia & mollitia enervat, & menti stu-
 pore quasi quendam affert. Vtque ferrum
 nisi assiduo splendeat usu, nigrore, rubi-
 gineque obducitur: ita vel torpore, & ocio
 mentis acies hebescit, vel opere, & labore
 exercita exacuitur. Ocio generosa indoles
 deprimitur, ac deprauatur: vitiorum maxi-

mus est fomes ocii: ocium malorum omnium certissimum seminarium. Ab ocio inertia, ignorantia, insolentia, nequitia, libidines, & reliqua animorum lades, patriæ pestes, exitia, nefariaq; scelera nascuntur. Si nullam aliam rebus humanis utilitatem afferrent litteræ, quâ quod ab ocio ad honestissimâ negotium inuentutem trāsferunt, abunde magnus ex disciplinarum studijs fructus perciperetur. Reliquæ namq; artes, licet ab ignorantia, & turpitudine adolescentes auocent, in officioq; contineant, nullo tamen modo cū disciplinarū studijs conferri possunt. Excitatur enim intelligentia, suauissimq; doctrinæ pabulo mens alitur, atq; adolescit, rerumq; subtilium cogitatione fixa, nō leuibus alijs curis distrahitur, nec alia magnopere requirit oblectamenta. Verè ac sapienter Horatius, de literato homine, & poeta cum loquitur, hoc (inquit) studet vnum.

Detrimēta, fugas seruatorum, incendia ridet,
Non fraudem socio, puero non cogitat illā
Pupillo: viult siliquis, & pane secundo.

Sed

Sed fide digniorem testem D. Hieronymum audiamus, qui nullum efficacius remedium ad coercendas omnes cupiditates, libidineque comprimendas, quam literarum studium esse docet. Quod si ita est, quod rei publicæ munus, ac beneficium maius, amplius ve conferet eruditus homo? aut quid in terris facere acceptius Deo potest, quam si iuventutem ad rerum naturam intelligendam, ad probitatem, moderationem, virtutemque omnem colendam erudierit? His præsertim temporibus, in tanta flagitiorum licentia, tantæque ociosorum, perditorumque hominum turba, & collusione, ubi tot viciorum insidys circunuenti ignari adolescentes, praua consuetudine quasi peste, & tetra quadam lue facile contaminantur: nisi sapienter, & comode suadentium consilijs, authoritate, industria ad honesta studia trāducantur. Miseranda profecto temporū nostrorum conditio, vanissima studiū hominū corruptissimaque iudicia, cum pauci admodum reperiuntur, ac penè nulli, quos publicæ vri-

ce vri-

ca & utilitatis cura, aut cogitatio tægat: cum ingenio, scientiaque præstantes, contemptui se fore putant, si ad puerilem hæc institutio nem se forte demiserint: cum ad opes tantum, & voluptates comparandas, ad speciosos titulos, ad inaniem ostentationem res literaria dirigatur. Nullus seruet videlicet in nostris pectoribus Christianæ charitatis ardor, qui nos ad communem hominum societatem tuendam (quod maximi est animi, Deique simillimi) impellat. At veteres sapientiæ studiosi, veræ virtutis, & honestatis ignari instituendorum puerorum curam non se indignâ putauerunt: sed laudis, & gloriæ comparandæ instrumentum id esse maximum iudicarunt. Quintus Mutius Scauola genere, opibus, dignitate princeps Ciceronem puerum, Romanamque iuuentutem erudiendam summa cum laude, ac libentissimè suscipiebat. Nec ipse Cicero summis honoribus, & potentia auctus, ijs etiam temporibus, quibus reipub. oneribus grauissimis premebatur, erudiendæ nobilitatis prouinciam

ninciam recusabat. Quanta laude cumulatus, quanto in honore habitus fuisse credendus est Pythagoras ille Samius qui non solû patriam, sed totam illam Italiæ oram (quæ magna olim Græcia vocitata est) excellenti doctrina excoluit, instruxit, ornavit. Quid aliud Socratis nomen sempiternæ hominum memoriæ consecrauit, quàm illustris doctrinæ fama, discipulorumque gloria ceras omnes, & maria peruagata? Quid Platon ipse nonne docendi laude ad summam amplitudinem euectus est, & immortale nomen consecutus? Huius quoque discipulum Aristotelem, summum ipsum philosophum, sat constat, gloriæ cupiditate flagrantem, non solum philosophiæ præcepta tradidisse, sed Isocratis æmulatione commotum, quem videbat, auditorum multitudine, & nobilitate florere, Rhetoricæ etiam docendæ ludum aperuisse. Dies me deficeret si summos oratores, philosophos, Grammaticos vellem commemorare, quos ad publicum hoc docendum non rei familiaris angustia, non im-

G posita



posita aliqua necessitas, sed publicæ utilitatis studium, & laudis, & gloriæ desiderium incitauit. Nec fuit aliquis vnquam tam à communi sensu alienus, vt instituendæ inuentus munus non maximis honoribus, & præmijs honestandum, atque exornandum censeret. Qui enim fieri potest, vt non sit gloriosum docere, quod est dicere honestissimum? Agrippina Neronis mater Senecæ viro clarissimo docendi curam, & officium, tanquam grande aliquod probum dicitur obieciſſe: sed quid facere oportebat eam, quæ nec impuris hominibus adulteria, nec latronibus homicidia, nec rapacibus auaritiam, obijciebat: quæ probitatem, modestiam, pudicitiam, virtutisque omnem oderat disciplinam. Hoc pereunns ille hostis humani generis quorundam animis insenuit, vt neminem docere, in auctoritatem esse scientiæ (vt Plinius commemorat) arbitrentur. Quæ opinio his quoque temporibus increbruit, & iam apud eruditos aliquot inueterauit, qui docendi studium quasi

quasi operarij hominis laborem detrectât, indignumque viris principibus esse iudicant. Quidam etiam ociari, torpere, nihilque à saxo differre, pulchrum, & gloriosum putant. Oſcitantem, philosophiâ, literas dormitantes. O homines humanitatis expertes, præposterarum mentes, animos corruptissimos, & ab omnibus diuinis, & humanis institutis, ac legibus auersos, pergitis ne adhuc in re vtilissima, & humanæ vitæ maximè salutari indignitatem vllam ponere? an non satis liquet, dignitatis ornamenta maxima cum Reipublicæ utilitate, & virtutum maximarum studio coniuncta esse?

Quære præterea vellem, cur de mercaturis, de re vinaria, & frumentaria, de arcendis aquis, de stillicidijs, de lenonibus, de gallinis, de sterquilinijs, de cloacis, de fordidissimis, minutissimisque rebus controuersias disceptare, honorificum, & auctoritatis, dignitatisque plenissimum iudicabitur? De linguarum autem cognitione, de ora-

tionis structura, & ornatu, de pronunciandi ratione, de autorum interpretatione, de ingeniorum cultu, tenerisq; mentibus informandis, & ad virtutem instituendis humile, & abiectum, & doctis, & granibus viris indecorum existimabitur?

Nisi forte illud honestius, ac pulchrius esse censetur, quod esse quæstuosius videatur. At qui iuventutem sibi in disciplinam traditam prudenter, & studiose erudiunt, non video, cur suam artem non esse etiam quæstuosam experiantur. An bene constituta civitates suorum liberorum educatores, & magistros non magnis abunde pretijs alent? Tam erunt negligentes rerum publicarum moderatores, tam parum de communi salute cogitantes, ut animorum, & ingeniorum altore, inopia laborare, aut premi gravi aliquo onere patiantur? Non adeo unquam humanitatis studia sordebunt, nec ita a perniciosiss, & pestilentibus hominibus contra virtutem conspirabitur, ut iuventutis institutores, & magistri, non in maximo honore habeantur.

habeantur, mercedeq; amplissima exornentur. At laboriosum est, docendi molem, & molestiam sustinere: & cum puerorum gregibus conflictari: quorum vicia intolerabilia sunt, nec facile virili stomacho concoquenda. At qui laborem defugit, munus a Deo assignatum defugit, cui non solum vacui temporis, sed ociosorum etiam verborum ratio reddenda est: magnumq; suscipit in se scelus, qui eos, quos iuvare, & tueri posset, destituit. Præterea docendi laborem tolerabilem, atq; etiam iucundum consuetudo reddit, ipsaq; publici boni, & proprii officij recordatio. Quod si voluptas (ut inter omnes constat) non in ocio, sed in actione consistit, non potest sapientis animus ex tā honesta actione non voluptatem capere incredibilem. Ipsi quoq; ingenui adolescentes, ac dociles auditores prudenter, ac liberaliter instituti magistrum colunt, venerantur, diligunt: perperuoq; honore, & voluntate gratissima prosequuntur. Omnes deniq; iuvenes, pueri, senes, omnes omnium ordinum homines quasi pu-

si publicum ciuitatis parentem agnoscunt;
debitaque obseruantia amplectuntur. Nil
itaq; nec ad hominum studiū amabilius, nec
ad nominis claritatem illustrius, nec ad opes
comparandas vberius esse potest, quam in-
formare teneram indolem, iuuentutemque
optimis artibus erudire. Illudque maxime
summīs magistratibus, ciuitatum, regno-
rumque moderatoribus curæ esse debebat,
ut tantum munus, tamque rebus humanis
salutare ad eos tantum, qui singulari erudi-
tione, & ingenio excellere, & præclara
quædam essent animi natura præditi, defer-
retur. Apollonius Alabandensis doctrina
gloria clarus, quanuis mercede doceret, non
omnes, qui se illi in disciplinam volebant tra-
dere, admittebat, nec addiscendis literis ap-
tos esse omnes iudicabat, nos docendis inge-
nui artibus omnes qui se offerent, idoneos
existimabimus? Magnam quidem vim ha-
bent literarum studia ad excolendum inge-
nium, & mentis aciem acuendam, sed quem
admodum agri non omnes frugiferi sunt, qui

colun-

coluntur, sic ingenia disciplinis excolta, non
omnia ferre fructus possunt. Perfectam ar-
tis cognitionem, maximarumque verum scien-
tiam, summam dexteritatem adeptum esse
oportet eum, qui alijs erudiendis præficitur:
nec enim mediocris aliqua rerum cognitio
nisi à summo, & perfecto artifice percipi
vaquam potuit. Nec eruditione solum mul-
tiplici, & latè patenti, ingenioque maximo,
& eloquentia præstans, sed multò etiam ma-
gis morum integritate, moderatione, & ani-
mi ornamenti decoratus esse iuuentutis in-
stitutor, & magister debet. Accedat eodẽ
oportet, mira quædam in docendo alacritas,
& inuictum robur animi, sermonisque comi-
tas, & urbanitas, summaque dignitas, & gra-
uitas, cum summa humanitate, & benewo-
lencia coniuncta. Res hæc est magna, diffici-
lis, ardua, & quæ non nisi summis ingenijs,
maximisque animis conueniat, non de pecu-
nia, gloriolaque sollicitis, sed humana socie-
tatis tuenda studio, & veræ laudis, & glo-
rie desiderio inflammatis.

*Magister
qualis esse
debeat.*

G 4

Præ-

UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

GRUPOS USALIS

Præbeat se ergo magister optimus tã ser-
monis suauitate, & morum sanctitate ama-
bilem, quam docendi dexteritate, & rerum
maximarum explicatione, & scientia admi-
rabilem: animumque in discipulos veri pa-
rentis induat, vt illum omnes & ament, &
vereantur, & attentè, beneuolè, & iucun-
dè audiant. Sunt naturaliter pueri ad omne
animi remissionem proclines, nec illorum
mentes in attendenda re vna, diu fixæ per-
manent: sed varijs subinde cogitationibus,
leuissimâq; aurula a præsentibus, & serijs
negocijs ad aliena, & inania auertuntur. Id
circo docentis industria, & singulari prudẽ-
tia, beneuolaque aliqua admonitione, & di-
sciplina ostensa vtilitate, & grandi aliqua
promissione, interdum etiam faceta oratio-
ne, & historiola excitari debet ad officium
que reuocari. Sic enim integri ad audiendũ
se parant, ab oreque docentis pendunt: fru-
ctumque maximum pariter cum voluptate
percipiunt: facileque in teneros animos in-
fluunt, quæ iucundè, & beneuolè audiuntur.

At

At incommodus, & inhumanus institutor,
vel studiosissimos sæpè vultu ipso, & aspe-
ctu conterret, in seque odium, & in literas
creat. Scribit Laertius Lyconem Troaden-
sem sermonis iucunditate, & comitate præ-
ditum, aptissimum pueris instituendis fuisse:
annosq; quadraginta schola principatum re-
nuisse: pudoreque pueros, & laudis studio,
non plagis & verberibus ad literarum stu-
dia impellere consueuisse. Gnypho quoque
Grammaticus (vt refert Suetonius) comi-
& facili natura fuit, ob eamq; causam cele-
bri admodum, & illustri discipulorum fre-
quentia floruit: nec solum pueros, adolescen-
tulosq; nobiles, sed innumerabiles etiam vi-
ros habuit auditores. Orbilius contra male
semper audiuit, quod morosus, plagosusque
esset, vnde à suis contemptus, ac desertus,
minoriq; in precio habitus iure fuit. Multa
sapiens institutor dissimulat, multa puerili
imbecillitati condonat: nec in puerilibus stu-
dijs, aut moribus quidquam ad perfectam
prudentiæ normam exigit, nec iudicij matu-
ritatem

G 5

Nota

Orbilius

ritatem in rudibus adhuc animis desiderat: nec ante flores, & frondes requirit fructus. Errata præcipiendo magis, quam reprehendendo notat: cunctantes, & verecundantes ipse adiuvat, & ut linguam paulatim exerceant, & ingenium periclitentur, hortatur: nec loqui incipientium conatus frangi condiscipulorum irrisione patitur, tardos, ac segnes leni obiurgatione castigat, metuque dedecoris, & ignominia ab ocio, ignaviaque deterret. Quod si aliquando puerilis negligentia corrigenda est plagis, grauitur & humanè institutor ipse ferula cadat pueros: grandiores enim, si verbis non commouentur, verberibus admoneri non decet. Iram summopere vitet, quæ nihil rectè nihil commodè, nihil facere cum dignitate sinat: interdum etiam quasi furias quasdam immittit, efferarique homines iracundos cogit, immaniterque sæuere. Dumque in puerorum vitia, quæ innumera sunt, subindeque renascentia nimis acriter animaduertunt, ira, rabieque rumpuntur: fusteque & verberibus tenera

tenera membra contundunt: & quæ confirmatione egebant corpora imbecilliora reddunt: valetudinemque affligunt: ingenique simul, & corporis vires debilitant: quod immanis est sæuitia, extremique furoris indicium. Hinc enim efficitur, ut literas pueri acerrimo odio prosequantur: & magistrum quasi carnificem, & importunum aliquod monstrum execrentur: nec secus ad gymnasia ingrediantur, ac serui vilissimi ad ergastula. Humanum esse decet humanarum artium doctorem, qui beneuolentia, & charitate, & sapientiæ ipsius dignitate ad disciplinarum studia inuitet: qui & exemplo suo, & clarorum hominum commemoratione sciendi desiderium, & laudis cupiditatem ingeneret. Strenuos, & gnauos collaudet, insectetur eos, qui ne breuem laborem subeant, perpetuam subeunt ignominiam. Eam denique adhibeat institutionem quam diuinus Plato omnium saluberrimam appellauit, ut laude adolescentes quam maxime letari, & ignominia dolore quam maxime

ximè assuescant. Cum enim ita simus affecti omnes, ut aspera omnia, & acerba vitare, voluptatemque nobis asciscere studeamus, non facile esse potest adolescentibus, qui voluptate maximè ducuntur, naturæ blandimenta, illecebrasque respicere, studiorumque labores, ac difficultates evincere, ac sustinere, nisi laudis dulcedine deliniti, stabiles, & veræ gloriæ gustum fluxis voluptatibus anteponant. Excitat ergo sapiens, & pius magister suorum animos, ut in excolenda mente, verisque animi opibus comparandis libentissimè acquiescant: easque docet solas voluptates existimandas, quæ mente percipiuntur, quæ hominis pars est potissima, quæque homo censetur, à cæteris animantibus tanto intervallo remotus. Corporis enim voluptates, præterquam quod animi pulchritudinem suâ fœditate deformant, ingenique aciem obtundunt, mentisque vim omnem extinguunt, furiles sunt, & instabiles, gravissimisque molestiis contaminatæ, cumque temporis momento effluant, iniustam animis maculam,

culam, diuturnum marorem, perpetuamque pœnitendi causam relinquunt. Nec enim fieri potest, ut mens, quæ natura sua rerum subtilium studio, & virtutis pulchritudine capitur, ac sustentatur, cum à turpitudine victa, de sua se dignitate deiectam videt, non graviter afflietetur, susceptique sceleris recordatione excrucietur. At animi voluptates stabiles sunt, constantes, perpetuæ: maiorem indies fructum maiora oblectamenta indies afferentes.

Quod ergo facere poterit, puerorum institutor prudens studiorum labores minuet voluptatesque ostendet in literis inesse maximas, nec horrida semper, & insuavia præcepta traetabit, sed amœniores aliquot, & apertiores autorum locos rudibus etiam auditoribus enarrabit, mirifice enim pueri historiæ, & fabularum lectu inuiculis oblectantur. Cui si semel studio assueverint, prudentiam alent, ac uentque iudicium, vicque sibi facilem, & expeditam ad maximarum rerum cognitionem munient. Hæc sunt ma-

Vide in hac
declamatio, &
cura evolve
fol. 33. b. ubi
in maximi fa-
cientis huius
lectione, re-
peries, & ali-
querque. vide
fol. 56. b.

est studiorum voluptas, hic vberimus, & amplissimus fructus, qui ex assidua authorum lectione percipitur. Qui non operam, industria, mentemque omnem ad evoluenda, cognoscendaque autorum volumina consuluerint, quavis infrugiferis alijs vel loquendi, vel scribendi studijs exerceantur, id certe quod est utilissimum, & maximè necessarium prætermittunt. Estque hoc diuino munere, & beneficium factum, ut mirabili hoc literarum inuentio salutaria vitæ præcepta, sapientumque dicta & consilia, illustria facta, & exemplarum librorum monumentis consignata, posteritati relinquerentur, ut non solum presentium, & viuorum sed absentium, & mortuorum colloquijs perfrueremur: quemadmodum enim per voces homo cum homine confert, communicatque consilia, ita per historias, & libros secula cum seculis colloquuntur. Græcos homines vehementer accusat Plato, eosque semper pueros esse dicit, quod nulla antiquitatis, nulla rerum gestarum notitia instructi essent. Magnum sibi præsidium ad vi-

tam

tam prudenter, & iucundè traducendam comparat, qui operam, & studium in legendis historijs ponit: cum enim rerum humanarum initia, progressus, exitusque cognoscit, variosque vitæ casus, & hominum vanitatē intuetur, non potest non rectius sapere, & consilia prudentius moderari. M. Cato Romanorum sapientissimus fuisse ob eam causam est visus, quod (ut refert Cicero) non solum in bibliotheca multis libris circumfusus totos ferè dies sederet, sed quod in curia etiam dum senatus cogeretur, semper legeret, nihil reformidans inanem vulgi reprehensionem, tantaque in eo fuisse dicitur legendi aviditas, ut librorum helluo vocaretur, Anacnosten etiam Aristotelem appellatum fuisse ferunt, quod philosophorum libros summa sciendi cupiditate, & perpetuo lectitaret. Lucium Lucillum prudentissimum imperatorem, & rerum gerendarum peritissimum, testatur Cicero, euasisse, quod grauioribus etiam negotijs occupatus, rei publicæ administratione distra-

ctus.

Etus, nunquam tamen legendi studium inter-
misisset. Habuere olim Romani proceres le-
ctores quosdam seruos, quos Græca voce
Anacnostas vocabant, qui sedentibus, cu-
bantibus, ambulantiis, epulantiis, iter fa-
cientibus, eruditorum, & sapientum libros
legerent. Quæ enim incundiora, & vrbano
ra colloquia, quæ vtiliores familiaritates,
quam prudentum scripta esse possunt, sum-
ma arte, & solertia elaborata, summæ pru-
dentia, leporis, eruditionisquæ plenissima? Sa-
pienter Demetrius Phalereus Ptolemæum
regem (vt est apud Laertium) hortabatur,
vt hominum eruditorum libros de regni ad-
ministratiõne euolueret, quæ illum ad tutan-
dam, regendamque rempub. erudirent: ami-
cos enim de hac re frustra consulendos aie-
bat, quod nunquam regibus vera dicere au-
derent, sed ad voluptatem omnia loqueren-

Librorum, hæc tur. Sunt libri veri, & salutare amici, qui-
tionem, ite bus cum incundissimè, & quæ velimus diu-
commenda tissimè versari possumus: præsto sunt, &
regea fol. 85. ubiq; obuij: doctè, ac peritè loquuntur: fide-
li. et 33. b. liter

liter admonent, nihilq; adulantur. Cohortan-
di sunt ergo ad autorum lectionem pueri,
vt non solum linguæ peritiã, sed rerum
etiã cognitionem comparare paulatim pos-
sint. Illudq; magni erit momenti, si autorũ
sensa eruere ipsi per se conentur, & ingenij
vires periclitentur. Quæ in re admonendi
mihi tyrones videntur, vt si quæ forè in li-
bris difficilia intellectu, & obscura incide-
rint, ne animum contrahant, neue despon-
deant, sed operam constanter adhibeant, cõ-
tendant, enitentur, efficiant, quo obscuri il-
lius loci sensum penitus inuestigent: magi-
strum consulant, prouectiores condiscipulos
percontentur. Sunt enim delicati quidam
adolescentes, qui ne exiguum illum meditan-
di, vel percontandi laborem subeant, inchoa-
tæ lectionis curam, & cogitationem abij-
ciunt: eruditioneq; se maxima, & fructu
studiorum incundissimo priuant: non minus
imprudentes, ac stulti, quam si qui viam ali-
quam ingressi, cum in biuicium, aut triuicium
essent forè delati, offenderentur grauitè,

H

atque

Nota.
non debet
difficultas
comprehensio-
nis atterere
ne a lectione
a



atque indignarentur, malintq; de medio cursu desistere, domumq; reduci, quam de eligenda via aliquem interrogare. Assuesfaciat quoq; pueros ludimagister optimus, cum mediocriter erunt prima artis praecepta edocti, ut Latine loquendi studiose diligenter exerceant, nam cum tenera aetas ad res omnes imitandas, atq; effingendas mirè apta, & opportuna sit, tum ad linguam quamcunque exprimendam maximè est idonea. Erit autem utilissima hæc loquendi consuetudo, si prouectiorem, eruditioresq; aliquem nati erunt sodalem pueri, quo cum emendatè, & incorruptè loquantur: aliter enim veruaculè potius, quam barbarè loqui malint. Quamquam in hac parte ita sunt morosi quidam, ut dum purè, & perfectè loquendi tempus expectant, dum ne fortè contaminetur dictio, à dicendo refugiunt, ne mediocrem quidem ullam loquendi facultatem adipiscuntur: dicendiq; prorsus expertes, atque elingues euadunt. Matura diligentia, diuturna opera, assidua exercitatione, longa scribendi,

bendi, & loquendi consuetudine, vigenti, & firma memoria est opus, si quis copiosam: & expeditam Latine loquendi facultatem consequi volet. Est enim loqui multò, quam intelligere, difficilius. Dum loquimur, acrius, & attentius laboramus, magisq; ingenij, & mentis aciem intendimus, dum quid proferamus, exquirimus: quod non facile se offert, nec semper occurrit, cum volumus. At in libris intelligendis, & interpretandis, oculis exposita habemus omnia: nec ullo inueniendi, aut disponendi labore torquemur: res tantum notas, & nota iam verba agnoscimus. Non desunt tamen, qui totum hoc Latine loquendi studium, tanquam puerile, & inane contemnunt, quodque ipsi non sunt affecuti, nec necessarium, nec utile existimari volunt. Obijciuntque nobis circulatores quasdam, qui sapè Latine, & expeditè loquantur, & magna etiam circumstantium admiratione afficiantur, cum tamen ineptissimi sint, & omnium bonarum artium ignari. Non nego, accidere

Nota loqui
difficilius esse,
q3 intelligere.

hoc solere persapere, sed hac res non Latine loquendi usum tollit, sed confirmat potius. Nam si ficta illa, & adumbrata eloquentiae species animos nostros commouet, & quodammodo meretur laudem, quanta erit tandem commendatione vera ipsa eloquentia, quanta laude dignanda? In quo tamen illa est adhibenda cautio, ne in precipitanter loquendo, rapidaque sermonis celeritate magnam aliquam laudem pueri ponendam putent. Reprehendit vehementer eos oratores Cicero, qui in clamore, & verborum multitudine, & cursu gloriabantur, bonarum autem artium, virtutum denique ipsarum societatem non norant. Crassus quoque eo nomine maxime laudabatur, quod non solum id, quod opus esset, diceret, sed etiam quod id, quod opus non esset, non diceret. Ipse quoque magister, cum auctores interpretabatur, cumque necessaria praecepta explicabit. Latine plerumque loquetur, plenius enim & uberius illa docentis vox alit: & facile omnia in tenerum auditorum pectus transfundit.

fundit. Auctores autem non multos, sed paucissimos, ac selectissimos discipulis enarrabit, ne varios scriptorum libros sine discrimine villo peruolutantes, varium & multiforme dicendi genus ex omnium commixtione effingant. Ciceronem igitur in primis deligat, & ratumque omnium consensu hunc eloquentissimum fuisse iudicatum ostendat, hunc esse doceat, quem perpetuo intueri, ad cuius imitationem se totos componere dicendi studiosi debeant. Nec eo solum nomine Ciceronem commendabit, quod orationis ubertate, & copia (quam solam illius laudem fuisse opinati sunt quidam) sed multo magis, quod in rerum excogitandarum, & collocandarum prudentia, nemo unquam cum illo vlla ex parte fuerit comparandus. Hunc ut ament pueri, hunc ut assidue legant, studiosissimeque imitentur, hortetur. Nec enim fieri potest, ut qui Ciceronis scriptis assueverit, non prudenter, & apte, distincteque possit loqui: quae virtus in dicendo, penes maxima haberi debet. Placent alijs

alia, sed profectò Ciceronis officia cōmodis-
sima videntur, quæ pueris exponantur: &
penè ad verbū memoriter perdiscantur. Nō
solū enim verborū amplam supellectilem,
sed locorum etiam communium formulas li-
ber ille explicat: quas qui meditatæ, percep-
tasq; animo habebit, in promptu habebit lo-
cos, vnde sententias, & argumenta, de qua-
cunq; sit re dicendum, expromere facile pos-
sit: quod eloquentiæ instrumentum esse ma-
ximum, summi oratores existimarunt. Par-
tem quoque Ciceronis aliquam in vernacu-
lum sermonem vertet, discipulisque propo-
net, quam illi Latinam reddentes, cum Cice-
ronis loco conferent, quæ exercitatio vbe-
rem, & ornatam Latinam orationem effi-
cere, vel sola potest. Poetarum scripta di-
cendi studiosus magister minus frequenter
interpretabitur, eorū verò quæ carminis la-
sciua teneros animos contaminare possunt
summo opere vitabit interpretationem. Nec
enim immerito sapientissimi homines de be-
nè constitutis ciuitatibus poetas exterminā-

dos

dos putauerunt: eratq; illis etiam vera pie-
tatis expertibus cura animi, quæ linguæ po-
tior. Quid quod nec ad linguæ excolendam
magnum poetæ afferunt adiumentum, nec
temere Ciceronianus Crassus poetas aliena
quasi lingua locutos nō curat attingere. Nō
tamen poetarum studium repudiandū erit,
nec hæc eruditionis pars negligēda, à qua syl-
labarū quantitas, recta pronuntiatio, confi-
ciendorumq; versuum ratio tota pēdet. Le-
gentur ergo poetæ, qui grauiores erunt, &
verborū, & sententiarū maiestate excellēt.
Illudq; maxime prudens institutor caueat,
ne in poetarū enarrationibus ad sermonis ali-
quam obscœnitatē, aut rei parū honestæ mē-
tionē delabatur. Quòd si aliquādo in eum lo-
cū inciderit, vbi turpe aliquid necessario sit
explicandū, summam adhibebit moderatio-
nem, aliquamq; semper addet, illius vicij
insectationem, auctores quoque illos & ve-
ritatis ignaros fuisse ostēdet, & vicys omni-
bus coopertos. Nec sunt audiendi deprava-
tis opinionibus homines, qui liberum es-

H 4

se, &

se, & concessum dicunt, recreandorum animorum gratia, turpia etiam, qua faceretur aliquid habeant, familiaribus sermonibus admiscere: eamque præcipuam esserentur vrbauitatem: peruulgatum illud adducentes, mundis omnia esse munda. At Diuus Paulus Menandri versusum illum suis epistolis cõsecrauit, quo admonemur corrumpi bonos mores prauis collocutionibus. Non solum scãda, ac deformia per se sunt vicia, sed eorum etiam imago, & mentio motus in animis excitat flagitiosos. Ac sæpè rei turpis aspectu offenduntur, & exterrantur homines: viciorumq; scãditatõ vehementius detestantur: at ob scãna rerum expositione commouentur, & corrumpuntur facillimè, præsertim cum turpia qua sunt, aperta, & accurata (vt fieri solet) descriptione, & quasi approbatione commemorantur. Quod eò est etiam perniciosius, quò narrantis grauitas, & maior accedit autoritas. Hoc igitur ludimagister optimus curabit, hoc studebit vnum, huc suas curas, & cogitatus conse-

ret,

ret, vt puerilis indoles ab omni labe pura, incolumisq; seruata, ad sapientiæ studium dirigatur: ad rerumq; naturam, virtutisq; pulchritudinem contuendam ducatur: seq; morum communiũ informatorem, teneræ ætatis ducem, Deiq; administrum esse recordabitur. Quemadmodumq; summus ille pater, non ad suas opes, aut commoda, quibus non indigebat, sed ad nostros vsus mundum rerum omnium vbertate, & copia instructũ edificauit, ita sapiens homo doctrina suæ fructus non ad suas vtilitates, sed ad commune bonum referet: nullaq; molestia, nulla offensione à suscepto officio retardabitur, qui non tam homines suarum actionum laudatores, quã Deum habere spectatorem, & approbatorem gaudebit. In Deo spes omnes curasq; defiget: angusta, humilia, vana, fluxa mortalia omnia esse ducet, erroris, ignorantia, solitudinisq; plenissima. Aeterna semper, & vera præmia cogitanti, Deoque placere cupienti, docendi munus nullum fastidium asferet, nullam satietatem. Constan-

H 5

ter

Nota. vñ.
D. Pomey in
oradna in
peccatg in
idmilo ci fi
ncz.

Pro Grammaticis.

rer itaque, libenter, alacriter labores om-
nes excipiet, & summa etiam cum volupta-
te sustinebit: extremaque dementia esse pu-
rabit, quò sancti homines Deoque charissi-
mi per cruciatus, & cruces perueniunt,
existimare nos ocio, & voluptatibus
circumfluentes, quasi per la-
sum, & negligentiam
esse peruentu-
ros.

FINIS.



Fol. 17

ORATIO

A FRANCISCI

Martinij Lusitani, Auditoribus pu-
blicè Salmanticæ habita pro
Antonio Nebriffensi.



Othicis, Agarenicisque bellis
per octingentos penè annos de-
uexata Hispania, armorumque
studio consumpta, nullum ha-
buit artium optimarum lumen,
extincta omni politiore literatura. Quæque
ante Gothorum aduentum de ingenij, & elo-
quentiæ gloria cum Italia certare poterat, ita
postea languere cæpit, ut ingeniorum cul-
tum omnem, laudemque pristinæ eruditio-
nis amiserit. Ac Philosophiæ, & Theologiæ
studia ad conseruandam, moderandamq; re-
ligionem retenta sunt quidè à nostris, & quo
ad fieri potuit, semper culta: linguarum vero
disciplinæ iacuerunt prorsus, vasta quadam
barbaria in Grammaticorum gymnasia in-

A

uaden



UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

GREDO.SALES

Antoniana vulgò habentur, tolerabilia aliqua ex parte essent, nec damnata toties. tãq; acriter ab ipso Antonio reprehensa, illa solum ego pueris ediscenda proponerem, Platonisque consilio parerem, nec mouere. nō mouenda tentarem, sed cum obsoleta, & plane barbara vulgari hac arte contineri pleraq; animaduertentem: de Grāmatica mea arte componenda, in lucemque edenda cogitavi, idque doctissimorum, ac religiosorum hominum exemplo feci, qui Antonianam hanc artem ex Hispania terminis merito extirpare ceperunt, melioremq; instituendæ pueritiæ rationem cum summo reipub. cōmodo introduxerūt. Reliquum est, vt pauca quædam Grāmaticis ante oculos ponam, vnde illi colligant, quam sint tota hæc vulgaris præcepta Antonij iudicio, & auctoritate indigna, cætera qui volet cognoscere declamationem nostram legat, vbi maiori diligentia styloq; magis elaborato, & culto persecuti sumus hæc latius.

Principio ineptiarum Grāmaticarū maximam esse causam censeo, superstitiosam illam particularum vocumq; omnium definiendi consuetudinem, quæ cum apud plebrosq; Grāmaticos inueterasset, ab Antonio conuelli nullo modo potuit. Quam sit autē ineptum,

ineptum, atq; inane definitiones in Grāmaticā artē inducere, quamuis declamatio mea copiose, ac manifestè demonstrat, pauca tamē in hac parte addam. Cum definitio omnis vel ad rerum naturam & vim intelligendam, vel ad differētiā, distinctionēq; pertineat, superuacaneas, & otiosas esse Grāmaticas omnes definitiones constat. De naturis enim, & qualitatibus rerum Grāmaticus nil sollicitus esse debet, vocum tantū significaciones, variationesq; perquirat, ad cognoscendas autem differentias non definitio, sed cōsuetudo, quotidianaq; exercitatio adhibenda est (vt Cicero in Academicis docet) vt enim mater geminos filios consuetudine quotidiana internoscit, ita illa quibus assueuimus, facillè distinguere, & separare possumus. Quid similis, quàm est ouis ouo, at illi, qui in Delo insula gallinas permultas alere quæstus causa solebat, quæq; ouū gallina pareret, facillè discernebant. Quod si de finitionibus omnino vti Grāmatici volūt infinitas, & molestissimas Grāmaticæ esse oportet definitiones, vt illi facere cōsueuerūt, qui quid gerundiū, quid supinū, quid collectiuium, quid denominatiuiū, quid oratio quid cōstructio, & quæcūq; Antonius in 3. libro persequitur: qui si definitiones rerū omnium in illum librum conferebat, cur in alijs

libris easdem reperit, quod vitiosissimum esse Dialectici vident? Nec fieri potest, ut Antonius qui & Dialecticis, & Philosophicis fuit rectissime institutus, de eadem re definitiones plures tradiderit: nisi forte illud est quod in mea declamatione confirmaui, neminem unquam rem Grammaticam tractasse, quæ ipsa professio non penitus infatuauerit. Vell præterea curiosos hos nimium Grammaticæ amplificatores, & exornatores interrogare, quid magis esse necessariam iudicent Grammaticis tyronibus hanc definiendi rationem, quam elementarijs puerulis, qui alphabetum addiscunt? ab ijs enim possemus etiam exigere, quid esset carta, quid litera, quid legere, quid scribere, quemadmodum ab illis quid declinare, quid regere & inepta alia. Nam quod miseri ex Cicero. 2. offic. afferunt, à definitione debere institutionem quamcunque proficisci, non vident imprudentissimi illud ad philosophiam spectare, non intelligunt in ijs artibus quæ sunt in actione positæ otiosas esse definitiones, non Ciceronem legunt, qui. 1. de orat. Definitiones parum esse oratori necessarias putat, ut agricola non quid serementis, quid sulcus, quid aratrum doceri debet. Sed si Grammaticos iuuentutis bene instituedæ cura (ut par erat) moueret, animaduertent,

terent, studiorum corruptelam omnem ex hac vna definiendi vana curiositate manasset dum enim rerum naturæ definiendo explicantur, quæstiones illæ ridiculæ, pestilentissimæque disputationes excitantur, vtrum verba aliqua impersonalia sint vtrum neutra, vtrum sint plures, an pauciores orationis partes constituendæ, & huiusmodi alia quibus eloquentiæ studia ad nugas, & tricas, & stolisissimas ineptias traducuntur.

Altera est superstitionum causa, quod ea quæ sunt in vso posita, & libera illorum voluntatē, qui primi olim latine sunt loquuti, otiosi homines ad rationem, naturamque reuocant. Summaque ratione Grammaticam constare volunt: quod nihil est aliud, quam (quod ille dixit) si quis det operam, ut cum ratione insaniat. Fuere apud Romanos æquales, ac penè pares Cicero, Varro, & Nigidius: ac Ciceronis quidem, & Varronis opera in lucem edebantur, & summo omnium studio approbabantur. Sed Nigidij Grammaticæ commentationes (ut refert. A. Gellius) à doctis sunt improbatæ, nec in lucem prodierunt unquam, quod illarum subtilitas parum utilis videretur. Hæ peruersæ subtilitates quasi quadam contagione Grammaticorum multorum animos infecerunt. Totus penè Priscianus

in hoc inanī philosophandi genere versatur, cum de literæ, & syllabæ natura differit, cū inquit, an vox sit corpus, an incorporeum quidā, cum nominatiuum casum esse negat, quia aliud non cadat, cum multis argumētis colligit. O. particulā non esse pronomē, cum imperatiuū in verbo volo reperiri non posse probat, quod voluntatem, & liberum arbitrium aliquo modo cogere videremur, si alicui imperassemus, vt aliquid vellet, & in finita huiusmodi anilia deliramenta. Laurētiū quoq; dum ratione magis, quam auctorum exemplis nititur, dum quid ratio patitur, quid ratio non patiatur inquit, multa contraloquendi rationē dicit, atq; vt ē multis attingam pauca. Conciues, qui eiusdem sunt ciuitatis dicendum putauit, vt condiscipulos, & conseruos, apes. is. non apis dicit omnes amicissimos, omnia præclarissima dici negat, & amandum fore, venturum fore, antiquus robustus mesor, antiqua robusta mulier, tuum simplicis hominis pectus, tui vnus studio, vterq; vtrique est cordi, frequentia vestrū duodecim millia signati, modios centum millia, puto esse amicum bonum, & innumerabilia, quæ doctissimus Theodoricus, eruditique alij obseruarunt. Quid ergo mirum si Antoniana hæc ars ex talibus auctoribus

auctoribus desumpta, ineptissimarū, ridicularumque rerum tota sit referta.

Nam ad Laurentianas superstitiones accesserunt alix nō paucæ, vt cum de passione illata & ianata disputatur, de verbis exceptæ actionis, de relatiuis identitatis, de pedū in versibus proportionibus, sexquialtera sexquitercia, epitrita, de syllabarū temporibus in vnū, vnū & semis, & in duo, & duo & semis distributis, & infinitiui, & impersonalis verbi subtilibus differentiis, quaq; ratione agens & faciens persona distinguatur, de orationis in perfectā, & imperfectam finitā & infinitā diuisione, de genitiuis mis, tis, sis, quā arguta illa quoq; præsentis est futuri in imperatiuo modo differentia? quā accurata etiā disputatio, cū modi verborū nō ratione distinctarū vocū, sed significationū varietate distinguūtur? q̄ si verū esset, infinitos pene esse hos modos oportebat, hortatiuū dubitatiuū deprecatiū, concessiuū, execratiū, & similia. Cū quæritur cur potius mea interest, quā meū interest dicatur vtrū tu nominatiuo careat, deque illius rectione nimium anxie disputatur. Quid? cum præcepta dantur cur Musa accusatiū finiat in am, ablatiuū in, a, & ridicula huiusmodi, cur nō etiā in verbis

bis in quibus maior videbatur esse difficultas non dabantur præcepta cur amamus, & amati, impersonalium quoque verborum generalitas illa nimium ridicula est, cū dici posse negatur viuitur à me, discessum est à te, quæ si quis Antonij iudicio, non ædituorum. & Grammaticulorum imperitiæ tribuit, male de Antonio sentit. Sed pergamus, absolutis, & planè barbaris loquēdi rationibus ars hæc fecit tota, quod certissimo est argumento, nihil hic iudicij ab Antonio esse adhibitū, qui latine semper, & maximè propriè est locutus. Nec vero ad Ciceronianæ dictionis normam exigere volo omnia, nec sum tam delicatus, vt dare operam literis, in præsentiarū, innotescere possibile, est impossibile reprehendam: nec illis vocabulis offendor, quæ, q̃ artis propria, alicui videbuntur, tolerentur sanè ex qua vi, vnde determinatur à parte ante, & post, actiuum, relatiuū, passio, & similia illa solū reprehendo, quæ ratione nulla excusari possunt.

Albedo, nigredo, cōtemporaneus, apprecio, as, pedo, comedo, intitulatio, casualia, ac cidentalialia, præsuppono, duo præsupposita, combinatio, nullatenus, meatim, tuatim, suatim, formaliter, materialiter, regulariter, irregulariter, quātidem emis, maioris emis agens agens

agendō repetitur, agere orationem, dico q̃, animaduertendum est, quòd, ex quo, sequitur quòd, dignus magno gubernatu. Supellestilia, relipire rationalis. sonoras, generalitas, conquexi, conuiui, & connixi, cudo, cussio, verro, versi, versum, nexois, psalli, nisi sapiui, ruder, viue, apes, voluox, obuio, as, cambio, is, sorptū, torsum, hauriui, hauritū, dicis necui, nedus, & plicui, itum, cum hæc tantū composita reperiatur, sed cum veris falsa, & obsoleta, confundis fere, indulsim, vel indultum, pexus, vel pectitus, fructus vel fruitas, tutus, vel tuitus, vinx, vel vinciui septū, vel sepitum, rideo, es, vel rido, is claudio, es, vel claudio, is, accuso te criminis, vel crimine, abūdo, & careo pecuniarum vel pecunijs, inuado tibi, vel, te, noceo, tibi, vel te, peto te, vel à te libros exigo te vel à te nūmos, & postulo, palpo te audio tibi, vel inaudio, pro obedio, prouideo te, nil tibi, parco tibi pecunias, vescor panem vel pane, & vtor, dignus honoris, vel honore, duo mille, vel duo millia, tria mille vel tria millia: pijissimus, vel pientissimus, Iupiter Iupitris, vel Iouis, posses eadem ratione dicere hominis, vel hominis præsertim cum Ennij testimonio hoc posses confirmare, vt conquinfisco conquexi, nescio cuius prisci, & inauditi Pomponij versu confirma

sti, claudes, es, apud Luciliū esse dicis, con-
templo. as. apud Plautū, semperque Pacu-
uios, Turpilios Accios, nobis auctores pro-
ponis, Ciceronis Cæsaris, & Liuij nulla fere
mentio. Doces præterea ante domandū bo-
nes, & in tuo libro tertio participia præteriti
discessus. a. um, eū qui, discedit, occasus qui
occidit, quā multa etiam in anomalis inuti-
liter, & falso præcepta sunt. numero singu-
lari carere dicuntur Topica orū, bucolica, orū
cum nihil frequentius dicatur quam primo
Topico, primo Georgico, æruinā illecebrā
blāditiā in singulari reperiri negas stultitias, sa-
pientias, philosophias, mūdōs, terras, maria,
æra, vina, Mœcenates, Antonios, & simi-
lia non probas, singularēq; interpretationē
incōmētarijs adiūgis, cum dicis terrā carere
quidem plurali cum totū elementū significa-
tur, sed cū partes, vel genera terrarū repe-
ri in plurali posse, ita & vinum cum totū
genus singularis esse numeri, cum diuersita-
tes vini, etiam pluralis, quasi non eadē sit ra-
tio in omnibus nominibus, homo enim, cū
genus humanū significat, non desiderat plu-
ralem, multis nimium licenter Ouidium di-
xisse doces philosopharis deinde cum hæc
nomina multo plus in singulari, quam in plu-
rali significare ostendis.

¶ Non

¶ Nō vacat ridiculas differentias illas per-
sequi, quas tanquam veras à Laurentio ac-
cepisti, interrogare intelligendi causa, per-
contari argumentandi, scilicitari sciendi. Fes-
sum, & animo, & corpore fatigatū esse vis.
defessum, & fatigatū, qui amplius fatigari
non possit. Gratificari minoribus, gratū fa-
cere maioribus, fateri volentes dicis, confi-
teri inuitos, hisne præceptis ludificari te-
nerā etatē patiemur his vocibus puerorū au-
res circūsonabimus: quorū fere animis quæ
sunt deteriora pertinacius (vt ait Fabius) in-
hærent: Sed pergamus, hinc infertur dicis,
pro colligitur, furio. is. pro furo. is. colores
apellas figuras, homicide exulāt à prætorē
pro relegantur, nec significationē, nec vsum
verbi exulo animaduertisti. Scādere versus
dicis pro metiri, eleuare voces, & syllabas, p
extollere: relectionē pro retractione: pro-
fiteri artē pro discere: vnionē aliud latine di-
ci præter gēnam credidisti, facere sermonē
dicis, non habere, propugnare urbem, non
pro vrbe, paratus cantare figuratum, & ra-
rum putas, Grammaticulorum Antoni, nō
hoc tuum est iudicium: detractores, dicis,
pro obtrektoribus, in verbis cōmunibus fal-
sa omnia exempla ponis, qui senim vnquā
dixit veneror te, tu veneraris à me,
criminator

criminor te, tu criminaris à me, experior te tu experiris à me, & largior, amplector, osculor. Quasi vera exēpla deessent, quæ in meo de syntaxi libello inuenies, cum vox eadem actionem, & passionem significat vt dignor te laude, & tu laude dignaris, & alia quæ apud Ciceronem inuenies, impersonalium quoque verborum rationem ignorasti cum impersonalia vocas, placet mihi legere, delector me audire quæ si impersonalia dicis, cur non erūt omnia pene verba impersonalia, quid obstat enim, cur non dicamus, nocet mihi legere, prodest, obest, incommodat, satisfacit, aridet, venit in mentem legere, dolet mihi officit mihi, lædit me, offendit me, oblectat recreat, reficit, perturbat, excitat, comouet, inuitat, allicit benelegere bene canere, generare quoque nominum pleraque perturbasti & confudisti, cum ambigua solum poetis concessa credidisti, & quæ epicæna erāt ambigua appellasti, hebes, dis, infans & similia communia à te ponuntur, cū sint adiectiua, arborum insularum urbium & fluuiorum genus non explicasti, idque emendare, in commetariis, tu ipse studes. Sed ad impropiam dictionem tuam reuertamur, congruam orationem, dicis esse quam Grammatici efficere debent, non vides emendatam dici debere non congruam,

gruam, sed neque congruentem, vt quidam postea dicivoluerūt, qui nec Fabium nec Ciceronem imitari, sed barbare loquentē Priscianum voluerunt, emendate loquendi munus esse Grammaticum, non congrue, nec congruenter & Fabius, & Cicero testantur congruentē orationem, congruentes literas appellat Cicero non emendatas, & casibus, & temporibus, & genere, & numero coherentes & constructas, sed rebus, & temporibus accommodatas, congruensque dicēdi genus maxime esse in oratore laudandum tertio de oratore docet, congruenterque loqui, idem est quod aptē, & appositē loqui.

Creari magistratus, & desiderari in prelio militem tantum in passiva voce dici debere contendis, abstinere à voluptatibus, & frui voluptatibus non esse dicendum præcipis, honesta tantum expetere, pastum ad homines pertinere tantum credis, pabulum ad pecora transfigurari verba pro deduci, & deriuari aliunde dicis. Arpinas, Cassinas ablatiuum in. i. tantum habere affirmas, cum multo frequentius in. e. reperiatur, hæc te Antoni exanimasse, & animaduertisse nunquam mihi persuadebo, nec te tam amulum fuisse existimabo, vt Musas à verbo Moso dictas fuisse crederes, quod in tuo libro tertio affirmatur.

Prætereo incommoditates quam plurimas, & obscuritatem, & prolixitatem Antonianæ artis, si Cicero, & Latini veteres reuiuiscerent credis illos intellecturos mascula sunt tibi quasi mascula, & calx cum pedis est nā calx hæc stringit arenam, quid cum græcas illas appellationes vsurpas, & declinationem diuidis in diptotam, triptotam, tetraptotam, & reliquas, pro hæretica dicis verba, non voluntaria, cū pentemimerim, heptemimerim in versibus notas, quæ ut ait Cicero, prima specie admirationem mouent, re explicata risum.

¶ Scis breuitatem maxime commendari à sapientibus, eruditionem filiam esse memorie rectiusque nos meminisse, quæ paucis verbis cōprehēsa sunt (ut aiebat Zeno) quid quid præcipias esto brevis, ait Hora. at dū tua hæc præcepta ediscuntur, totus pene Cicero, memorie posset mandari.

¶ Illud etiam sæpe sum admiratus, quod statim in initio artis promittiste ex probatissimis illis autoribus Latinæ linguæ præcepta collecturū, qui à Ciceronis ortu ad Cæsarem Adrianum floruerunt, postea Apulei, Lampridij, Sidonij, sipontini testimonijs omnia confirmas: omniaque omnium autorum dicta redigere in artē conaris, nec solū Latina,

&

& recepta sed peregrina etiam & obsoleta ad præcepta tua reuocas, quod nec fieri debet, nec potest, quod inuti e, & infinitum sit.

Non desunt etiam prudentissimi homines qui molestè ferāt, quod eadem præcepta sæpe in hac arte reperiantur, ut cum genera verborum quæ in tuo libro quarto explicantur, etiam in partibus illis orationis, quæ traduntur tyronibus confunduntur, cum de declinationibus in libro tertio, deque alijs puerorum rudimētis inculcantur, quæ libro primo fuerant iam præcepta, ad eandemque molestiam per te sæpius pueri reuoluuntur. Non nosti Solonem omnium gentiū consensu prudentissimum in condendis legibus fuisse habitum, at hic Thesmothetas constituit, qui quotannis ciuitatis leges perlegerent. ac si duas de eadem re forsitan reperirent, deterior rem tollerent.

Nec illud bene sentiētibus probatur, quod ad tractatiunculas quasi libet Grammaticas illustrandas, à sanctis literis testimonia adducis. Maiore mihi veneratione videntur esse sacra volumina colenda, quam ut ad hæc infima, & aliena studia traducantur. Præterea non vides sacros scriptores magis de rerum veritate, quam de verborum elegantia (ut par erat) sollicitos, cū à Græcis, & Hebræis omnia

uadente, eloquentiaq; vires omnes funditus euertere. Cumq; ad iuventutem latinis literis erudiendam, nulli alij eo tempore, quam Dialectici, & Theologi magistri reperirēt: neque ij Ciceronem, aut Liuium, aut bonum aliquem auctorem nossent, quod in promptu fuit, Hymnos, & Psalmos, Ecclesiasticasq; orationes, & Homilias interpretari cœperunt: in dandisque præceptis à Dialecticis traxerunt pleraque, definireque, & diuidere, & subtiliter argutari adolescentulos docuerunt. Hinc illæ substantiæ, & accidentis, appellatōnes, identitatis, diuersitatisq; relatiua materiales, & formales acceptiones, innatæ, & illatę passionēs, huiusmodique infinita rerum, & verborum monstra in Grammaticā sunt inuecta puerilisque est omnino institutio deprauata. Cum ergo Latina lingua duabus his quasi pestibus ineptorum præceptorum superstitione, & bonorum auctorum in terminatione ita oppressa, & obscurata esset, vt multis iam seculis non solum inuentus esset nemo, qui latinè loqueretur, sed ne Latina quidē, qui cū legeret, intelligeret: primus Antonius Nebrissenſis vir magno ingenio, maximarumq; rerum scientia instructus Latinam linguam ad lucem, pristinumque splendorem reuocare, bonasque literas restituere est

est aggressus. Is enim cum eruditus diligēter apud Italos fuisset (per quos primum post illam Gothorum cladem bonarū artium studia excitari, & instaurari cœperāt) Latinosque auctores strenue euoluisset, in patriā reuersus, Latini sermonis (vt ipse gloriari solet merito) primus aperuit officinam, Hispanosque suos ad eloquentiæ studium hortari, atque impellere nunquam desistit. Sed adeo pestes illæ duz inueterauerant, tamque altè in Hispaniæ visceribus radices egerāt, vt tātū viri conatibus euelli, & extirpari omnino barbaria non potuerit. Vehementer nanque Antonij consilij à Grammaticorum vulgo reclamatum repugnatumque est: imperitiq; magistri, ac proinde arrogantissimi veteres suos errores longa temporum possessione, & quasi vsucapione tueri, retinereque sunt conati. Atque cō progressam Grammaticorū audaciam, pertinaciamque fuisse ferunt, vt receptis illorum opinionibus aduersari, parum tutū Antonio videretur. Qua de re cum multis in locis ipse conqueratur, tum maximè in sua de accentus Latini retractatione, non se quicquam immutare ausum fuisse dicitorū, quæ iam pridem Grammaticorum auribus infederant. Paulò quoque inferius hæc verba subiungit, cū vulgo, hoc est cum pueris rudibus,

bus, cum præceptoribus parum eruditis, cum sacrificulis, atque ædituis res agebatur, quod genus hominum nihil probat, nisi quod didicit, & plerumq; nouitatibus offenditur. His verbis Antonius Grammaticorum impetū se sustinere non potuisse, ingenuè confiteatur, multa que in arte sua se præcepisse testatur, quòd homo facilis, nimiumque (vt fuisse fertur) natura leni, importunis & morosis Grammaticis morem gerere cogeretur, non quòd illa præcipi ita debere sentiret.

Nec vero mirum videri debet hoc Nebrissenfi accidisse, eo præsertim tēpore, quo plusquā Cimmerijs tenebris erant omnia inuoluta, cum nostro hoc seculo, renascentibus iam passim bonis literis, hoc idem non raro doctissimis vsu veniat. Quodque fieri in omnibus fere rebus humanis solet, vt boni qui pauciores, modestioresq; sunt, sæpè à pluribus opprimantur, id etiam in prima hac litterarum institutione contingit. Quemcunque enim iactabundi Grāmatici ingenio, doctrinaque præstantem, suiq; dissimilem esse cōspiciunt, in hunc continuo impetu facto irruūt, cum hoc bellum continenter gerunt, hunc acri maledicentia, & rabie insectantur, & modo dolis, & insidijs, modo aperto Marte adorientes, omnesque machinas admoueu-

tes.

tes, si nō virtute, numero certè vincunt. Queret hic aliquis merito, quid nam sit causæ, quòd doctissimis viris tantopere Grāmatici malè velint, tamque vehemēter perpetuo aduersentur, sed qui paulò attentius Grāmaticorum ingenia moresq; inspexerit, faciliè huius odij causas, originēq; cognoscet. Quade re mihi sæpè numero cogitatū, quid in mētem venerit, visum est breuiter explicare, quod vt intelligi facilius possit, vos clarissimi auditores oro, attentionem parūper adhibeatis. Nemo nescit Grammaticos fere magistros minutis, exilibusque rebus nimium semper intentos colligendis, cumulandisque præceptis maximam partem occupatos de formādo stylo, de latina dictione, de magnorum auctorum euoluendis, & imitandis scriptis non magnopere laborare: sola denique præceptorum tractatione, & cōmentatione contentos, vsū omnino artis non nosse. Rectè Cice. in omni dicendi doctrina præceptorum demonstrationem facilem, & vulgarem esse, vsū autem difficillimū esse docet. Nec enim traditio illa artis, & præceptorum explicatio ingenij vim magnam, & animi attentionem desiderat, vbique sunt obuia præcepta eq; alij ab alijs paucis immutatis verbis transcribunt, at stylus magni laboris est dicē-

A 3

di

VNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

di facultas ingenium acre exercitationemq;
postulat incredibilem. Cum autem omnes
homines ita sint affecti animo, ut difficilia &
acerba deuitent, eosque odio habeant, à qui-
bus ab ocio, & securitate, ad negotium, & soli-
tudinem traducuntur, fieri nullo pacto po-
test, quin vulgares Grammatici doctos viros
acri malevolentia persequantur, à quibus ad
arduū, ac perdifficile eloquentiæ studiū au-
datur: cū ipsi satis superq; putent, suo se offi-
cio perfunctos esse, magnūq; abunde exple-
se munus, si contrita illa sua, peruagataq; præ-
cepta decantent: in pristinumque illud quasi
detrushi in excutienda, tractandaq; arte per-
petuo volutentur: & ne nulla in re excellere
existimentur, milletricas, & argutias excogi-
tant, ac peruerfas (ut appellat Plinius) sub-
tilitates: relictoque eo in quo eminere non
possunt (ut Paterculi verbis utar) aliquid in
quo nitantur conquirunt. Sunt etiam cor-
rupti adeo iudicij quidā, prauisq; opinioni-
bus imbuti, ut nec veros disciplinarum fines
cognoscere, nec veram instituendæ iuuentu-
tis vias ingredi, vllō modo possint. Quidam
corruptas esse malunt literas, quam per eos
quorum laudi inuidēt, restitutas, quidā ocio
& ignauia torpentes alienæ industriæ sta-
tuere modum volunt, ne ipsorū inertia depre-
hen-

hendatur, imperitiæque suæ latebram qua-
rentes, in ueteratis erroribus, & ineptijs vete-
rum prætendunt authoritatem: Quasi Pri-
scianus, & Laurentius recentiores Gramma-
ticos non multo doctiores, quam veteres
fuisse confirmet. Cicero quoque recentissi-
ma quæque emendatissima esse dicit, at Grā-
maticuli, quia nihil aliud quā vetusta illa, &
rancida didicerunt, illa solū probanda, & te-
nenda esse contendunt, inuidiæ queræ rui-
puntur, cum fulgente aliorum luce, obscu-
riores, & viliores se futuros intelligunt. Et
quæ admodum multo tēpore tenebris assueti
homines cum primum ad solis lumen produ-
cantur, splendorem sustinere non possunt,
insolita luce illorum oculos perstringente,
ita Grammatici illustrent doctorem hominū
eruditionem intuentes, grauiter offendunt:
eruditosque omnes tanquam sibi contrarios
vehementissimè oderūt, ad eosque opprimē-
dos quanta maxima possunt animorum con-
tentione, certatim omnes conspirant. Hi er-
go Antoniū Nebrissensem Grāmaticā pur-
gare, & illustrare conantem, superstitionesq;
cunctas, & ineptias extirpantem, infestissi-
mis animis, quasi cōacto agmine inuaserunt,
illiusq; præclara cōsilia impedierūt. Nec mi-
rari quisquam debet, tantum Grammatico-
rum

rū vulgus valuisse, tantumq; negotij virō clarissimo exhibuisse, cum nihil impotētius, nihil intolerabilius esse soleat, quam imperitia, si cum arrogantia coniuncta est, quibus duobus vitijs semper fuit Grammaticorum natio cumulata: semperq; Apionum, & Palæmonum prouentum attulit innumerabile, liuore, & rabie summos viros insectantium, reſtaque cōcilia, & instituta omnia peruertentium. In quo genere nostri quoque homines non mediocriter peccant, qui insignem sibi iniuriam fieri arbitrantur, si quis secus aut loqui, aut agere quicquam audeat, quam ipsi docere aut dicere, consueuerint. Quæ non solum Antonij Nebrissenſis querela est, sed Ludouici etiam Viuis Valentini: hominis, summi, & singularis iudicij viri qui graui ter se dolere dicit, quod corruptarum Artiū & linguarū culpam, nationes aliæ in Hispanos cōferāt, qui vt valētissimi sunt, & inuictissimi, ita fortissime ignorantia arcem defendunt. Sed Grammaticorum errores, & insolentiam nostra in Grammaticos declamatio copiosius explicat, & coarguit: nūc pestis illas duas tantum accusamus, quæ Nebrissensem insectarunt insolentium Grammaticorum, & insipientium ædituorū. Quod hominum genus quā intractabile, atque indoci-

le

le Antonius iudicaret, velex eo facillè cernitur, quod in illa sua retractatione testatur. Ait enim in vulgari hac arte sententiam suā nō se omnino aperuisse, quod eam in vulgus probandā diffideret, in cōmentarijs tamen illis in quibus cū doctioribus (vt ipse affirmat) sermonem instituebat, quid quaq; de re sentiret liberius, & apertius pronunciasse. Si quid itaque de re Grammatica prudēter animaduersum, præceptumq; ab Antonio extat, in Commentarijs id omne querendū est, reliqua ars tota de media vulgi fæce hausta est: & (vt paulo post demonstrabimus) falso inutiliterq; descripta. Quod in eadem etiam retractatione Antonius ipse declarat, cum se vehementer admiratum fuisse dicit, quod rudes has, & impolitas Grammaticæ institutiones ita vniuersa Hispania recepisset, tātoque consensu approbauisset, ac si summo studio, & conatu ab ipso elaboratæ, atq; eliminatæ fuissent. Quod etiam feci libentius vt virum clarissimum, atque optime de Hispania meritū defenderem, ab eorumq; calumnijs vindicarem, qui cum in hac Antoniana Arte quædā non satis exacta, nec vera satis deprehenderēt, multum de Antonij fama detractum esse putauerunt: viroque omni doctrinæ, ac iudicij laude cumulatissimo imperitiæ, & im-

A 5

pru-

VNIuersidad
DE SALAMANCA

GREDO.SALES

prudētis notā inurere studuerūt, si qua enim in hac arte peccata sunt, quæ multa profecto sunt imperiti illi⁹ seculi, nō Antonij peccata esse, vel mediocriter eruditi facile anima duer tent. Nam si quis Decadas, & quinquagenas, & scripta Antonij alia eleganti sermone exculpta omnique rerum varietate, & scientia redundantia perlegerit, adduci nullo modo poterit, vt credat Grāmaticam hanc artē, per turbare, & confuse descriptā, nec ineptorum præceptorum modo, sed barbarismorū etiā, & solæcismorum refertam, ex eadem officina, vnde reliqua Antonij opera exiisse. Accusabit hinc aliquis Antoniū, ignauiaq; viro probissimo fortasse tribuet, quod imperitos Grāmaticos nō acriter fuerit insectatus, quod non apertē, ac liberē ineptorū hominū errores deliramenta que anilia profligauerit. Ego tamen hominis modestiam in hac parte laudo, & eo magis suspicio, quo rarior hæc virtus in Grāmaticorū gente reperta est semper: & prudentiam laudo, quod tam in solēti multitudini cedendū, & (quod maximē existimatur esse artis) tempestati obsequendum putauerit: nec vim vllam (quod Platonis est consilium) patriæ inferendam censuerit. Hac etiā via pertinentes Grammaticorum animos facilius (vt ipse ait) aggrediendos, paulatimq;

ad

ad veram studiorum rationem perducendos sperauit, si illorum imperitiæ aliqua condonasset. Nam si lucem omnino omnem cæcis hominibus obtulisset, obcæcasset magis illorum mētes, omnemque operam perdidisset.

Multa præterea Antonius noster parum à se animaduersa, sed quasi ab alijs notata, & probata in suam hanc artem contulisse est visus. Quod in libris de naturali Historia Plinio accidisse non indocti homines suspicantur. Quod eò est in nostro Antonio credibilius, quod neminem præceptis, & arte instruendum studiose vnquā susceperit, parūq; in hoc publico docendi munere versatus, nō singula excusserit, nec magnum præceptorum delectum habuerit. Enarrauit ille quidem in Salmanticensi Academia publice authorum magnorum libros, artis tamen præcepta nunquam explicauit, nec se ad hæc infirma tractanda demisit. Non, credo, quod indecorū, & se indignū iuuentutis erudiendæ munus existimaret, vt eruditi sæpè nonnulli solent, parū reipu. studiosi homines, & veræ laudisignari, sed q̄ grauioribus (vt par est credere) negotijs, & regijs muneribus implicato, hæc tam multiplicia, & molesta Grammaticæ artis rudimēta peruidere omnino, perperareq; non vacauerit. Fuit enim Antonius à

Fer-

Ferdinando Rege ad maiora negotia ascitus; nec multo tempore Latinos authores interpretandi laborem illū sustinuit. Nā si ad Antonij prudentiam, rerumque maximarū cognitionem docēdi quoque vsus longique tēporis exercitatio accessisset, nihil profecto de re Grammatica perfectius proferri politiūque potuisset, quā quod ab illo examinatū, & excussum fuisset. Magnam vim habet in rebus omnibus experientia, hæc nihil est, quod non assequatur, nihil quod non percalleat, sed nescio an sit in re vlla magis, quā in hoc docēdi munere necessaria. Rectē Ciceronianus Antonius expertum se magistrū malle habere dicit, quā doctū. Cicero quoque nō solum scire artis esse, sed esse artem etiam quandam docendi docet. Si quid ergo in Antonio Nebrissenfi defuit, si quid in viro eruditissimo desiderari potuit: illud vnum est, quod studijs, curisque alijs distentus, nec exercere, nec expolire Grammatica præcepta potuit. Composuit ille quidem artem, sed non totā (vt ex multis illius locis, & testimonijs cōstat) idque cursim, magis Grāmaticorum precibus efflagitatus, quā voluntate, & iudicio ductus.

Narrat Cicero, cum de claris oratoribus disputat, fuisse olim Romæ L. quēdā A Eliū

Græ-

Græcis & Latinis literis eruditissimum, antiquitatisque peritissimum, qui quamuis orator esse non studeret, orationes tamen quas alij dicerent, scribebat, sed eas Cicero leues, parumque artificiosas orationunculas appellat. Huic A Elío non dissimilis esse noster Antonius mihi certē videtur, qui se quoque A Elium appellari voluit quod Romanis A Elijs, qui Nebrissam cōdiderāt, originē se duxisse crederet. Cum enim Grāmaticā profiteri non magnopere studeret, sed in alienos vsus præcepta colligeret, non satis nobis exactā, perfectamque artem protulit. Quantum autē impolitas, & inutiles has suas institutiones Antonius ipse iudicaret vel ex eo colligi potest, quod cū Regias quasdā virgines Ferdinādi iussu latinis literis erudiret (vt in Commentarijs in librum quartum cōmemorat) non hanc artem, sed commodiorem, emendatioremque aliam adhibuit, quā vtiā ad nostrorum manus peruenisset aliquid tāti viri eruditione, & iudicio dignum hoc tempore haberemus, sed nescio quonam iuuentutis fato fieri soleat, vt ea quæ ineptiora, absurdiora que sunt, fere in Grāmaticorum vulgus probentur. Sed ad rem propositā reuertamur, ipsumq; Antonium audiamus, qui libro vulgaris huius artis quarto præcepta multa &



se nec elaborata, nec animaduersa fuisse affirmat, De Infinitiuis (inquit) de Gerundijs, supinis & cōparatiuis quæ in hac parte subieci, quia non fuit mihi tempus dijudicādi qualia essent, aliorū iudicio examinanda relinquo. Cū tot ergo Antonij testimonia expressa teneamus, cū ad rudia hæc, & inchoata præcepta emēdanda ab ipso Antonio toties incitemur, quis nos accusabit, si tanti viri auctoritati, & cōsilio parentes, hanc artē repurgemus quæque falsa, vel inutilia videbuntur, rejiciamus: præsertim cū fœliciora iā nostra hæc sint tēpora, quā fuerunt Antoniana, & Grammatici iam magistralitini sermonis gustū habere incipiant aliquem, nec tantopere eloquentiæ studia auerientur. Quod si quibus permitti hoc tempore, concediq; debet, ut de re Grammatica iudicium ferat aliquod possint, præceptaque disponēdi, in artēq; redigēdi ius quoddam habeant, nobis fortasse (quod sine arrogancia dictum existimarē velim) aliquid licere in hac parte debet: quibus terrarū princeps Salmanticensis Academia per duodeviginti annos bene institutæ iuuentutis testimonium dedit, ac præter publicum stipendium, honestissima quotānis præmia, ob eximiam discipulorum frequentiam, fœlicēque prouentum decreuit. Quæ me causa impulit,

VF

ut accuratius, quam sum nactus spartam, exornarem, commissamque mihi Grammaticę in situendæ prouintiam maiori animi alacritate administrandam, explicandāque susciperem. Eoque impēsus in his præceptis eliminatis, & expurgandis elaboravi, quo negligentius à plerisque tractari videbam, qui per uagatis, contritisque rebus contenti, iudiciū adhibere nolunt, nec magnopere laborant, quæ illa sint, quibus pridem assueuerunt. Quæ in re illud ego in primis profiteor, non me nimis curiosum futurum: nec receptam pueritix instituendæ rationem, nec communem studiorum tranquillitatē perturbaturū: quod quidem nostris temporibus faciliatur: qui cum vitia quædam in Grammaticis deprehenderent, ita longē ambitioso contradicēdi studio sunt euecti, ut ea etiam, quæ commodissime trahebantur, labefactare, & conuellere conarentur. Veteres enim rerum appellationes, quæ etiā Ciceronis sēculo receptæ erāt inutiliter immutantes de caprinaque (quod aiunt) lana subtiliter argutantes, nihil aliud, quàm tenebras, & caliginē in Latinæ linguæ studium inuexerūt, stulte, ac peruerse argutantes homines, qui non solum veterum summorum authorum, sed sacrorum etiam Doctorum in rebus appellādis consuetudinem impu-

impudenternimium aspernantur, eaque misere nouare contendunt. quæ mutari villo modo nec possunt nec debent. Hippodamus quidam Milesius fuit, qui (vt refert Aristoteles) cum de republ. multa conscriberet, legem tulit, vt esset illi præmium publice constitutum, qui legem aliquam rebus communibus vtilem inueniret. Quod Aristoteles vehementer improbat, censet enim commodius, & salutarius esse, tolerabiles leges seruare, quam paulò meliores iubere: artium autem præcepta leges appellat Plato, Sunt ergo (quoad fieri poterit) conseruanda, & retinenda, quæ recepta sunt semel, nec à veteribus institutis est temere desciscendum. Crebris namque mutationibus leges in contemptum adduci, nouitatibus turbari iudicia, & impediri discientium ingenia Aristoteles idem confirmat. Nihilque mutandum præcipit, nisi magna aliqua causa, magnaue cogat necessitas. At nostri non solum commutandarum, sed euertendarum etiam rerum cupidi sine causa vlla, sine ratione, imo vero contra rationem, contraque publicam vtilitatem, ingeniosos se visum iri sperant, si subinde mutarent, & conturbaret omnia. Quod cum in rebus omnibus summe sit

et leuitatis, & stultitiæ, tum maxime in Grammaticis tractationibus est perridiculum in quibus, vt prudentissimi omnes præcipiunt, non ad viuum rescanda, nec ad tenuè eliminanda, sed pingui (quod aiunt) Minerva tradèda, & explicàda sunt omnia: nec tam docentium subtilitas, quàm discientium commoditas est querenda. Quid tu (inquit aliquis) non etiam multa mutare, & nouare studes, cum Antonianam hanc artem reprehendere, & emendare conaris? caue ergo ne in quo alios reprehendis, ipse deprehendaris. Nihil profecto minus cogito, nihil minus curo, quàm de receptis iam olim rebus, aut verbis quicquam mutare, imperitâ tantum, & barbaram loquendi ratione noto, & quod possum corrigo, impersonalia verba, & pronomina quæ Ciceronis sæculo ita appellabatur, non tollo: verborum modos & indicatiui, & subiunctiui appellationes à doctissimis omnibus vsurpatas, Dialecticis etiam necessarias non muto: falsatantum, & inepta præcepta muto: quæ sit vera, & antiqua Latinarû lingua doceo, ac demonstro: nò ad inanes quæstiuunculas Grammaticam artem traduco: sed ad cognoscendam Latinam linguam dirigo, & accommodo: nihil muto denique, expurgo omnia. Atq; vtinà hæc præcepta, quæ

B

Auto-

UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

CRUCES. SALAMANCA

nia transferrent, Græcissimos etiam in Latinis translationibus retinuisse.

Iuuentutis institutores obsecro, ut hæc in eam partem accipiant, in quam à me sunt dicta: Quod si quis adhuc erit, qui tot barbara loquendi genera eo nomine tuenda censebit, quòd ab Antonio ita præscripta fuisse videantur, non is Antonium, sed suam imperitiam, balbutiemque defendet.



FINIS.

Cum Licentia.

Salmantica.

Ex officina Michaelis Serrani de Vargas.

Anno. 1588.



UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

GREDO.S.A.L.

UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

GREDO.SALAS